

EVOL, Tom
quod multis i.
ABBAS ille Ro.
fimz partes pri.
1, ante IPSVS es
ditum typis adiur.
nulli dubitamus,
xariam non mi.
a fice, qui illis
s, incendiis &
cunctis mona.
chorum univer.
s, discipulis
bituros, huius,
aliquando Tons

LIBR. STETIN.
Bibliotheca Un.

HISTORIA
IMPERIALIS CANONIÆ ROGGENBURGENSIS
SACRI, CANDIDI, ET EXEMPTI ORDINIS
PRÆMONSTRATENSIS
IN SUEVIA,
EX
DOCUMENTIS VETUSTISSIMIS ET AUTHENTICIS
DEDUCTA,
ATQUE
A PRIMO FUNDATIONIS SUÆ ANNO,
QUI FUIT POST CHRISTUM NATUM MCXXVI.
USQUE AD ANNUM MDCCCLIX.
FIDELI CALAMO CONTINUATA
A
P. PHILIPPO BAYRHAMER,
EJUSDEM S. ORD. ET COLLEGII CANONICO CAPITULARI.

T O M I VI.
P A R S I.

BRE


STORIAM

a cipe, Le^o
genis, q
antiqua
scriptam. Ipsi
Prepositi, dein ab
i poterior. Pute
spheres, modo punc
tum. Ur lucen^o
nibet. Luceni & C
an Virembergio i
ni Mure. Cum e
cum Superiori ordin
i non praetremus
strum equi botique c

DE PREP
Tabulam pra

Nomen
GERUNG
I. BECHTOLD
Erlangen.
II. WENFRID
Klosterneuburg.
IV. MARQUIS
V. LUDOV
VI. CLERICUS
HOVE
Dom. VI. Galle





BREVIS INTRODUCTIO
AD
HISTORIAM ROGGENBURGENSEM.



A
ccipe, Lector benevole ! Imperialis nostri Monasterii Roggenburgensis, quam damus, Historiam, ex Actis & Documentis ævi tam antiquioris quam recentioris studiosissimè collectam, & fideli calamo conscriptam. Bipartita est, nempe Prælatorum regimini accommodata, qui primò Præpositi, dein Abbates audiebant. Præpositos Pars prior, Abbates exhibebit posterior. Partes in Capita, hæc discriminamus in Paragraphos, quos modò plures, modò pauciores reperies, prout rerum materies aut fœcunda, aut sterilis fuit. Ut lucem à tenebris, verum à falso discerneremus, diu subinde multumque sudandum fuit, præsertim circa epocham, ubi non rarò fatalem nobis epochen deprehendimus. Ea propter numerum annorum de Præpositis præsertim non nunquam supprimimus, ne falsum exprimere cogamur. Præterea de Monasteriis Sanct - Lucensi & Churwaldensi in Rhœtia transalpina, de Adelbergensi in Ducatu Würtembergico multa leges, quod factum est ideò, ut Filias non separeremus à Matre. Cum enim Ecclesiæ præfatæ à cunis suis Abbatii Roggenburgensi tanquam Superiori ordinario & Patri Domūs subjaceant, dignum justumque videatur, ut non prætereamus, quæ tam arctè conjunctæ sunt nobis. Interim laborem nostrum æqui bonique consule, & factum mihi, tibi verò dictum fatis. Vale.

PARS PRIOR
DE PRÆPOSITIS CANONIÆ ROGGENBURGENSIS.
En Tabulam præponimus, ex qua uno quasi intuitu cognoscetis omnes Præpositos nostros.

Nomen.	Electus.	Mortuus.
I. GERUNGUS.	ab Ursperga submissus 1126.	1170.
II. BERCHTOLDUS de Eßlingen.	1170.	1207. vel 1208.
III. MENFRIDUS de Schussenried.	1207. vel 1208.	Sorethi 1220.
IV. MARQUARDUS.	1218.	nescitur quando.
V. LUDOVICUS.	de anno non constat.	ignoratur.
VI. ULRICUS WINCKLHOVER.	incertum quando.	1280.

Tom. VI. Collect. Monast.

A

VII. LU.

HISTORIÆ ROGGENBURGENSIS

Nomen.	Electus.	Mortuus.
VII. LUDOVICUS II.	1280.	non constat quando.
VIII. RUDOLPHUS.	incertum est tempus,	etiam mortis.
IX. THEODORICUS I.	de anno nil constat.	anno nobis prorsus incognito.
X. CONRADUS.	anno nobis ignoto.	24. Febr. anno ignoto.
XI. BERCHTOLDUS II. de Gynzögg.	annus ignoratur.	1358.
XII. THEODORICUS II.	1358.	nescitur tempus.
XIII. HENRICUS SCHY- LIN, Sueviæ & Bavariæ Visitator.	de electionis &	mortis tempore nil constat.
XIV. JOANNES KELLER.	anno ignoto.	circa annum 1405.
XV. UDALRICUS HOERNER.	circa annum 1405.	nescitur quando.
XVI. JOANNES ELLRANG.	nec electionis.	nec mortis annus notus.
XVII. ULRICUS SCHWARZ.	nescitur quando.	1440.

C A P U T I.

Prima Monasterii origo.

§. I.

*Pertholdus Comes de Bibereck, & Demutha ejus uxor, extincto
in aquis Filiō, arcem Deo consecrant.*

Enimvero plus quam Athenis noctuæ cœcutiebat antiquior orbis, dum nihil antiquius aut communius habuit, quam plerique omnia, quæ sub sole etiam meridiante sunt, cœcis adscribere fatis. Oculatior hodiè Orbis Junior præ illo in sapientia fenuit, quia ad nutum unius oculi Divini universa rotari, optimè divinat ex factis. Ab hac neutquam deviamus semita, qui omnem penè fatorum Roggenburgensem ordinem cœco attribuimus fato. Cui Sphyngis ore credimus loqui, Oedipum audire placeat.

Annus à Virgineo partu agebatur suprà Millesimum Centesimum Vigesimus Sextus, cum ad immortalem nominis sui honorem Honorius II. vir verè Apostolicus Apostoli Claves teneret, ad Clavum vero Imperii Romano-Teutonici federet Henricus IV, Cæsar profectò illustrissimus, si quispiam à fumo Mavortiæ tædæ in cœdem multorum multoties & plerumque infelicitate accensæ illustrari potest. Fumabant igitur in tempore illo nigra bellorum incendia, rutilabat nihilominus ab igne vere pietatis Teutonia, &, dum undique & ubique conscribatur miles, devotione verè germana cœlo militans è Germania proscribi neutquam valebat. Exemplum domesticum damus exteris in Pertholdo & Demutha. Comes ille fuerat de Bibereck, hæc de Hohenzolleris, par Nobile coniugum; quos an ebulliens in venis illustrissimorum atavorum sanguis, an virtus individua lateris comes plus nobilitaverit, Scepticus esse malo, quam male decidere. Navigabant nunquam non amne secundo, quia primas semper dederunt cœlo. Et vero jurasse, omnem vitiis viam fuisse præclusam ab ipsomet Castro, quod duobus ab Ulma Imperiali civitate milliaribus distitum, arduo montis vertici superimpositum, densis undequaque nemoribus clausum incolebant à fluvio, Biber dicto, qui cursu suo arcuato prata agrorumque in planicie adjacentes fœcundat, nomen illi fuisse Bibereck: traditioni Magistræ credimus. Multum Pertholdus alebat famulitum, sed non multam familiam; quippe (si tamen Demutha plures lactavit, de quo nihil constat) filium ablactatum & superstitem non nisi unicum numerabat, sed numeris omnibus absolutum, & qui solus defectum numerosæ prolis facile supplere potuit, nomine Sifridum. Ut enim soboles ista in lumen edenda omnium foret Charitas, omnes Charites de obstetricis munere certarunt, & munera sua, quæ parcâ aliâ manu in alios dividunt, è prodigo finu in Sifridum omnia effuderunt. Puerum in finu fovit nutrix gratia, & cum lacte tenero generosum genuinæ pietatis vinum imbibere fecit.

Jam-

Jamjamque in spem maximam adoleverat Sifridus, unicum & Patris & Matris solarium, futurus amplissimae possessionis hæres, nisi prior Christus Dominus suum scripisset cohæredem, & satis maturè ad hæreditatem in regno Divini Patris adeundam vocasset. Delectabatur præ cæteris innocentia venatione Sifridus, & facilè missos faciebat ludos alios, ut plus temporis supereffet, quo vel inter dumeta sylvarum, vel stagnantes inter aquas in feras & altilia fagittas emittere posset, ratus, rem illustri juvēne dignam fese conficeret, si telo hostili quadrupedantes tesquarum hospites conficeret. At ecce! dum frequens cum telis versatur, extrà teli, quod vibrat mors pharetrata, jactum constitutus nequaquam fuit. Accidit namque, ut, cùm semel transfixa volucris in stagnum decidisset exanimis, Sifrido non minus prædæ cupidio, quām improviso animosa cupidio surgeret, per semet ipsum de aquis asportandi extrahendique avem, quam dicunt sylvestrem fuisse anatem. Verūm quæ Simonem tulit unda, Sifridum sustulit. Vix enim è littore pedem solvit, mox sensit, temeritatis pœnam & simul naturæ debitum in undis solvendum esse; quippe dum luto tenaciter inhærentem tenaciùs attrahere laborat pedem, pedetentim ad profundiora ruere, oleum & operam perdere, quia haurire cæpit aquas, sique liquida duræ mortis præda factus est Sifridus innocens sed incautus prædator.

Prospiciebat interim è fenestrīs Demutha mater, & oculis integro lacrymarum mari innatantibus pereuntem in stagno suum spectabat ocellum, frustrè de subsidio sollicita, quia mors minimè tarda omnem sollicitudinem prævenit. Nioben amissa septemplici prole in arborem esse mutatam, & lacrymis nunquam exsiccandis amarissimam deplorare jacturam, inter commenta recensemus: Demutham, catastrophes omnium lucretissimæ spectatrixem, non obriguisse in faxum, faxis stylō ferreō & omnibus Commentariis inscribi dignissima res est. Sed nimirum sexu duntaxat, non animo mollis erat, & dolorem, quem natura sensit, virtus premere novit. Igitur matrem dissimulat, tragicī casus nesciam fesse simulat, & rectā ad Pertholdum properat, exploratura, quod repentinam filii necem animō latus esset parens. Atque ut Comes nihil finistrum possit suspicari, dexterè ab indifferentibus exordium fecit, lugubrem subjunctione epilogum, si Pertholdus hanc confirmasset propositionem: Salvum velint Sifridum superi; si tamen mors inopina ad plures citaret filium unicum, quem, Pertholde! hæredem scriberes? hæsitante Comite, pergit Demutha: me quod attinet, primogenitum mortuorum incunctanter dicerem, ut libro viventium certius meum inscriberet nomen: omnia mea ad manus, quod ajunt, mortuas deferrem, quatenus manibus meis citius parceret, qui non moritur Deus. Non diffensit ab hisce piissimis Demuthæ sensis Pertholdus, ratamque habuit Comitissæ propositionem, probè gnarus, tum denique ditissimum se futurum, si omnia dando pauperibus, debitorem haberet Deum ipsum. Ergo Demutha: heul inquit, vixit Sifridus, extictus in stagno. Hic enim verò in venis stagnare sanguis Pertholdo, fugere color, vox hærente, currere lacryma. Nempe paternum fovebat pectus, quod non poterat non scindi, dum corculum rapiebatur. Ad se postquam rediit, primò mandavit, ut Cadaver Sifridi de fluido suo sarcophago tolleretur, pompā, quæ deceret, solenniori terræ mandandum. Dein justa funebria justò maturiora ordinavit, & ratione, quæ Patrem filii amantisssimum facere oportebat, parentabat Sifrido. Castrum doloris, qua majus non vidit orbis, habuit Sifridus; totum namque Bibereck erat Castrum doloris. Quæ reliqua fuerit tristitiae pompa, noster non valet explicare calamus. Calamum verò ventosum non fuisse Pertholdum, sed vota, quæ pientissima conjugé suggerente conceperat, usque modò videt populus omnis, & laudat grex candidus, quem unde adsciverit Pertholdus, dicemus inferius.

§. II. Annotationes.

Illustrem Comitum de Bibereck familiam primæ quondam nobilitatis fuisse, tum Demutha Pertholdi Coniux, tum Conradus ejusdem frater argumento est. Illa ex illustrissima Comitum, hodie Principum de Hohenzolleris juxta biverbum: si vis nubere, nube pari, Biberbeckensium thoros certè non exambiisset, nisi paris nobilitatis ceras in atrio fumare advertisset. Conradus verò Canonicus Cathedralium Ecclesiarum Curiensis, Constantiensis, & Augustanæ, ac primæ tandem Episcopus idem ex eo convincit, quod Ecclesiæ præfatae non nisi probati Sanguinis Canonicos numerent. Scutum gentilitium præter alia fibrum exhibuit, qui hæreditario quasi jure ad Insignia Abbatum transiens, hodie dum ex areis superioribus unam occupat.

Annum Fundationis, quem à Millesimo Centesimo Vigesimum Sextum esse diximus dubium hic usque nemo vocavit, unde non immeritè super Cathedram sedisse scribimus Honorium II. antequam Pontifex crearetur, dictus est Lambertus Cardinalis Ostiensis.

Patriâ Bononiensis, Doctor eximus, & in rebus politicis Reipublicæ Christianæ versatissimus, quasi tumultuariè Pontifex electus est. Cum enim Purpurati Patres à morte Callisti II. Claves D. Petri detulissent Theobaldo, Cardinali S. Anastasiæ, qui Cœlestinus II. dici volebat, jamque Hymnum Ambrosianum intonare pararent, Robertus Frangipani magno cum comitatu templum ingressus, Cardinalem de Ostia nominat Pontificem. Quo factò Cardinales omnes à Theobaldo in partes Lamberti transierunt. At Honorius, quod nomen assumpserat, rei indignitatem perpendens, septimo post electionem die in præsentia S. Collegii & pallium & tiaram Pontificiam deposituit, servire præelicens quam dominari. A Patribus tamen compulsus sacratas denuò induit vestes. Sedit in Pontificatu annos quinque, mensem unum, dies septemdecim. Approbavit & confirmavit Sacrum, Candidum, & Canonicum Institutum Præmonstratense, & S. P. N. Norberto Romam venienti, quidquit petiti liberaliter concessit, ut legitur in vita. Sub Honorio Tanchelinus Sacramentaria hæresi Belgas, nefariâ Gallos dementavit Petrus de Bruis. Hunc Crucis, quam dedecoris & ignominiae lectum calumniabatur, inimicum in malam Crucem abire coëgit Petrus Cluniacensis, & omnis ejus doctrina, dum ipse vivus combustus in Cineres, in fumum abiit. Illum principatu suo spoliavit Antverpiæ S. P. N. Norbertus.

Henrico IV. Romanorum Imperatori annus fundationis nostræ fatalis, quia ultimus vitæ fuit. Erat is Henrici III, à tribus Christi Vicariis ter disploso Excommunicationis fulmine prostrati, filius. In patrem armatus surrexit anno 1102, atque in Comitiis Moguntiæ celebratis infelicem insignia regni deponere coëgit, ubi à Legato Sedis Apostolicæ, spectante Patre, in Cæsarem coronatus est. Sæpius adversa plerūmque fortunâ cum hostibus congressus est. Res quoque cum Pontifice illi fuit; eodem, quo pater, fulmine percussus resipuit, & à Callisto II. vinculô Excommunicationis absolutus, Trajecti ad Mosam vitæ cursum absolvit, ab ambitione, avaritia, crudelitate malè notatus.

Porrò fundationis historiam quod concernit, eam non nulli putant apocrypham. Sed nullam teximus fabulam, germano candore, quem vel ipse habitus Religiosus loquitur, candidissimam recensentes veritatem, illis duntaxat peregrinam, qui Fundatorum titulô honorant trinos Fratres, Pertholdum, Sifridum, Conradum, nescientes, in Transactione illa Gerungi primi Præpositi & Pertholdi cum Conrado & Sifrido, quæ opinio- nis contrarie Achilles est, mentionem quidem esse de Sifrido, non tamen ut fratre, sed ex progenie duntaxat oriundo. Pro fide assertionis nostræ facit pictura satis antiqua, quæ hanc ipsissimam Monasterii adumbrat, non obumbrat originem. Accedit perpetua Mاجorum traditio, & nomen nullo eliminandum ævo, quod in præsentem usque diem stagno, primo Sifridi flebiliter extinti sepulchro, adhæret, dicto vernaculè der Stüfftweyer. Denique ligatum pro rei veritate adducimus testimonium Poëtæ quidem, sed nullius de illorum classe, quibus fingere quæque libet. Carmen epicum est, quo mortem Sifridi plangit, Musarum ævi sui delicium, F. Michaël Probst, patriâ Krumbacensis, primò Roggenburgi Canonicus, dein Abbas vigilantissimus. Cecinit autem plangendam Sifridi mortem, & obtulit Reverendissimo Prædecessori suo Jacobo Werckmann anno incarnati Redemptoris 1597. ipfus, si lubet, audi tubam tragicam.

CAPUT II.

Carmen epicum de morte Sifridi.

Xerxes Perfarum Rex belliger, ille sonori
Victor ovans pelagi, regnis, spoliisque superbus,
Cum procul è tumulo campos, atque undique valles,
Milite plena viro usurpasset lumine, fertur
Excusisse sibi fletum, dehinc talia fatus:
Quis populos, mortale genus, plebisque caducæ
Non float interitus? hos bella, hos æquora poscunt,
His amor exitio, furor his & saeva cupidio,
Ut sileam morbos; hos ora ingentia brumæ,
Illos implacido lethalis Syrius igni,
Hos manet imbrifero pallens Autumnus hiatu.
Quid multis? ævi vix unus ritè soluti
Aspiciet fines inter tot robora pubis.
Tantis (prò miseri) defungimur omnia lustris.

At

At vos Cælicolæ ! sit fas mihi munere vestro ,
 Sit fas de nebulis , rutilo super axe librato ,
 Tam longè semotam oculis transmittere mentem
 Ad fatum Syfridi , ad lamentabile fatum
 Syfridi formâ insignis , viridique juventâ.
 Indignum facinus , vobis spectantibus , illum
 Invasit florem , primi sors durior ævi.
 Vos idè in tenebris tantis , ô lumina cæli !
 Teutonici occasum Solis memorate canenti.

Altus in aspectu mons est , quem cominus ambit
 Plana superficies , & ager formosus aristis ,
 Quem circum sylvæ Zephyroque Euroque moventur ,
 Quem lambunt rigui clivoso tramite rivi ,
 Rus vernans , pratûmque virens æstate , recentûm
 Mater humus florum , visu gratissima tempe.
 Huic terræ quandam (Supero nunc sacra Tonanti est)
 Illustris Bibereck Comitum de stirpe propago
 Heros Pertholdus , mira spectabilis arte ,
 Iusta dabat , Comitissa cui Demutha regendo
 Addita , par probitate viro lectissima conjux .
 Una fides illis , mens illis una duabus ,
 Unus amor , varii & concors discordia sextis .
 At licet ambo genus numerasset Sanguine ab alto ,
 Nimirum Comitum longævæ ab origine stirpis ,
 Non minus illustres spectato divitis auri
 Pondere (vana quibus vanescit gloria mundi)
 Cœu nihil id virtus superaverat æmula justis
 Et pietas , rectumque , & cæli immensa cupidio .
 Nil magis in votis agitant , secumque voluant
 Præterea , quam posse Deo aspirante nepotem
 Cernere , qui cæli patriis virtutibus arcem
 Æmulet , ut valeat fortasse per invia lapsis
 Germanam monstrare viam , quæ dicit ad astra ,
 Quæque suo accendat divinum lumine lumen .
 Hinc Deus è solio stellis radiantibus apto ,
 Qui mare , qui terras , cælique decemplicis orbes
 Alternis movet imperiis , dextrâque potenti
 Rectorès hominum regit arduus , & premit ipsa
 Corda agitans , laxásque volens immittit habenas ,
 Adfuit , & cæptis implevit vota parentum ,
 Dans illis sobolem , nondum hanc quoque mente potes Rex
 Iam fore præalbenti protectum corpora veste
 Noverat , & facilem vietu per sæcula cætum .

Ast illam Comitum generoso à sanguine prolem ,
 Quam sociata viro felici sydere quandam
 Edidit optato Conjux lectissima partu ,
 Illam , inquam , sobolem , cui sacro è fonte renata
 Indiderat nomen Syfrido , maxima matris
 Gloria , præcipuum genitoris & ornamentum .
 Quis memoret , quantis undârint pectora flammis ,
 Quanta per incensas manarint gaudia mentes
 Et patris & matris , cui uteri jam filius umbram
 Dispulit , & claro se reddidit ore videndum ,
 Candidulus , blandus , nitidus , pulcherrimus infans .
 Aspiciunt læti , ceu nusquam gaudia , nusquam
 Tam felix puer hanc vitæ spirabilis auram
 Hauserit ; ad portas vario discrimine cœtus
 Conveniunt alii , atque alii , mediâmq; per arcem
 Lætitia ingenti lætum natale canentes ,
 Ipsius ad Comitis perducunt carmina postes ,
 Certatim blandos circum cunabula flores ,

Tom. VI. Collect. Monast.

B

Dona

HISTORIÆ ROGGENBURGENSIS

Dona Sabæorum , & calathis dant lilia plenis ,
 Ac pariter suaves liquido dant gutture cantus
 Concordes animis , vox indefessa canoro
 Ore fluit , reboat clamoribus arduus æther ,
 Testaque festivo responsant omnia plausu ,
 Et puer , ut dignum est , faustumque bonumque precantur.

Haud seculis ipse pater meritas pro munere grates
 Dicere , secum animo versans , ad sydera palmas
 Attollit duplices , lacrymis ita fatus obortis :
 Audisti tandem Omnipotens mea vota , tuorum
 O nunquam frustrate preces , si brachia castè
 Tendantur , summiq[ue] Patris quærantur honores .
 Et vos , ô Superi ! & divum tu maxime Rector
 Christe fave , infantis , quæso , miserefcite gnati :
 Et patrias audite preces , si numina vestra
 Incolumem gnatum , si fors & fata reservant ,
 Si visurus eum , vivo cùm fecerit ætas
 Firma virum magnum , & sceptro regnoque potitus
 Patris obit fidâ sibi juncta conjugé munus ,
 Vitam oro , & patiar quemvis durare dolorem .
 Sin aliquem infandum casum fortuna minaris ,
 Nunc ô nunc liceat crudelem abrumpere vitam ,
 Dum curæ ambiguæ , dum spes incerta futuri ,
 Dum te , chare puer , mea sera & sola voluptas
 Complexu teneo , gravior ne nuntius aures
 Vulnéreret : hæc genitor juxta cunabula prolis
 Fundebat : paulum verbis , & mente moratus
 Constitit , ancipiit mentem formidine pressus .
 Cùmque insueta suis se paulatim ossibus alte
 Tristitia insertans monuit malè fida futuri
 Mens ea Pertholdum , tacitis dum vocibus infit :
 Ah quid agis Pertholde comes ? Demutha quid abdis
 Lætitias ? ambo quid spe lactamini inani ?
 Haud puer est vester , magni quem Rector olympi
 Elegit rarum pietate per æva nepotem .
 Casibus heu quantis hic præsens subjacet infans !
 Insinuem ? an fileam ? qui parvulus ubera fugit ,
 Hic matutino qualis depellitur ortu
 Nubes , & tenero ros gramine Sole tepenti ,
 Et tenuis valido jaætatur turbine pulvis ,
 Talis in occasu summo vos deferet . At vos ,
 (Si quis amor sub corde latet communis) amando
 Alternate vices , collo date brachia circum ,
 Dum juvenis præsens ludit sub flore juventæ ;
 Hoc omen Comitem circum præcordia mordet .
 Omnis in hunc gnatum confertur cura parentum ,
 Interea casus quosvis præcludere iniquos ,
 Ne juvenile decus corrumpat morbida pestis ,
 Aut faciles gressus malè devius occupet error ,
 Quin magis exornet sanctis virtutibus ipsos .

Post ubi de cunis illabens ubera parvus
 Iam materna puer teneris mulgere labellis
 Destitit , inque sinu blando colludere motu ,
 Cùm nondum prima signaverat ora juventæ ,
 Ante annos animumque gerens , curamque virilem ,
 Nec probitate patri juvenis reverentia cessit ,
 Nec formâ fuerat quisquam præstantior alter ,
 Tantis vita sagax ibat feliciter oris ,
 Hoc jubat & florem mirata est Suevica tellus .
 Vult , rutilet longum , & Pylios florescat in annos ,
 Lumine quo possit vitare latibula culpæ ,

Et

Et celsi quo flôre poli delibet odores.
 Sed quantis est hæc obnoxia vita periclis?
 Iusta petit plebis, sed plebs est passa repulsam,
 Ambit homo cœli sedem, fortuna reclamat.
 O Deus! humanis an adhuc irasceris ausis?
 Nugamur, mortémque procul, procul esse putamus,
 Cùm tamen hæc medio regit irrequieta labore,
 Sæpius in mediis caput exerit instrumentis,
 Ausu dum teneros incauti fallimus annos,
 Ut mos fert juvenum: aut agitant in pulvere currus,
 Exercentur equis, & aprici gramine campi,
 Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
 Spicula contorquent, curstique iætique laceſſunt,
 Retibus aut cervos fallunt, sylvásque fatigant.

Haud minor hisce comes sociis, quibus integer ævi
 Sanguis erat, seu luctari citus acer arena,
 Sive in gramineis membra exercere palæstris,
 Seu insidias avibus moliri, & fallere cantu,
 Seu gravibus pedicas & retia ponere cervis,
 Auritosque sequi lepores, tum figere quodvis
 Brutorum terris simul usque patentibus agmen.
 His adeò insistit studiis, illa corde volutat
 Syfridus juvenis, verni quin temporis anno
 Non tantum par esse suis, sed vincere certat
 Non fees, ac spatio cursor, campoque supreme
 Cùm propior meta est, magno certamine tendit
 Certus iter, pedibusque locum superare priorem;
 Nititur, & totus depromit pectori vires;
 Ilicet & cursu nunc hos nunc præterit illos,
 Nec viatos numerat, sed præcurrentibus instat.

Quin super his adjit fatale (audacia) monstrum,
 Monstrum ingens, cui flexilibus frons alta colubris
 Jungitur, & fastis oculis cum mente superba
 Torva supercilie gravitas, & fasta dolosam
 Virtutem ostentans: calvo de vertice vulsis
 Crinibus, extabant longè viduata capillis
 Tempora, & in magnos præcepſ efferbuit ausus.
 Dira lues populans artus, furor ignibus ardens
 De Phlegetontæo prorumpens flumine nuper,
 Dum studet incautam his verbis urgere juventam:
 O Syfride Comes, juvenum flos, maxima gentis
 Gloria Teutonicæ, decus ingens! Õ nova priscæ
 Virtutis, veniens quæ olim mirabitur ætas,
 Exempla, ante vagis nunquam superata colonis,
 Magna quidem, sed justa facis; jam corde timorem
 Mitte omnem, magnisque para te fortiter ausis.
 Namque tibi fors constanti succedere votum
 Annuit, & nostro clemens id nuntiat ore.
 His dictis calefacta novus per viscera sensus
 It juveni, tacitumque implerunt gaudia pectus,
 Nil veluti gesiſſet adhuc, rebūisque gerendis
 Effugeret tempus, sudat magis, omniaque arma
 Hortatur, stimulisque novis accensus & igne.

Ergò ardens animis ſeſe ipſe instigat, & omne
 Promissi ſpecimen factis ingentibus æquans:
 Fortis equus ſic ſponte ſua fugit impiger, ac fi
 Festinantis heri frænum & calcaria ſenſit,
 Evolat, ac levis effuſis ruit actus habenis,
 Nant tremulæ per colla iubæ, micat ardua cervix.
 Talis Syfridus generoſo pectori fertur;

B 2

Nec

Nec mora : de clavo rapit arcum , tela , pharetram ,
 Ex humeroquæ cavo suspendens arma , citatis
 Passibus , omnino nula stipante caterva ,
 Sese in convexo terræ situ , utrinque præaltis
 Arboribus clauso , meditatur condere solum
 Arbiferos inter montes , undæque fragorem.

Vallis erat curvo anfractu , saltuque maligno
 Obliquæ vicina viæ , quæ ducit ad arcem ;
 Hanc petit , hinc sese tenebroso in littore tyro
 Condit , ubi latè variæ circumque , supràque
 Assuetæ ripis volucres , & fluminis alveo
 Aëra mulcebant cantu , lucisque volabant.
 Hic modò succinctis gaudet venator in armis ,
 Observans reduces tenebrosa ad tesqua volucres ,
 Harum pars latè piscina innantur aperta ,
 Pars autem pronis disperdunt cœrula rostris ,
 At pars jam saturæ nota conduntur in ulva.
 Hæc videt , hinc juveni incedit damnoſa voluptas ,
 Arte dolos , artémque diu sub pectore versans ,
 Qua volucrum teneat gentem , cingatque sagittis
 Omnem abitum , spes parva fugæ ne detur , ubique
 Expertes opis , & , si fas mactentur ad unam .
 Quid ? fortuna frequens emittere tela iubebat ,
 Mento aptans arcum , ac oculos & brachia tendens
 Ex arcu telum vibrat , volat aëra tranans .
 Intremuere undæ , tremuitque exterrita pennis
 Gens anatum , mox alta volans ad nubila fugit ,
 Uni de numero rimatur viscera telum ,
 Concidit illa tremens , vitamque reliquit in undis .
 Quid faceret ? neque enim fuerat canis ulla sagacis
 Copia Syfrido , qui prædam asportet ab alto .
 Mens jubet herbosis undis se credere inermem .
 Neu fac ô Syfride ! actutum hanc exue mentem ,
 Si qua fides dictis , undæ ne crede minaci
 Corporis hocce decus ; nam te puer optime cerno ,
 Quod vigor est membris , promptæque ad fortia vires
 Sufficiunt ; quid tum ? sed mors quoque flumina regnat ,
 Quæ mare , quæ terras violenta lege coërcet .
 Vana loquor : stat mente semel perlistere cæptis ,
 Et quæ fata finunt , orbatis tegmina plantis
 Piscinam infaustam ingreditur puer igneus ardens ,
 Adversæ sperans nequidquam fraudis ; at illum
 Certantem mutis cum fluctibus , atque laborantem
 Expressa in nubis faciem circumstet it unda ,
 Accessitque sinu vasto , misitque sub amnem ;
 Qualia pallentes declinant lilia culmos ,
 Pubentesque roseæ primos moriuntur ad austros .
 Mortifero vitæ sic reddit lampada potu .
 Syfridus , Patris ac Matris flos vernus odorus .
 O lux ! præsidium ô Comitum ! ter maxima gentis
 Gloria ! sic rumpit tibi vitæ stamina Clotho ?
 Ante diem ? nihil hanc virtus , nil rara movebat
 Hanc pietas ? nil pulchri & amoeni gratia vultus ?
 Siccine te rapiunt fata immatura virentem ?
 Ætatis ver ! qui placidam roseamque juventam
 Spirabas ? subita ah ! jam morte perempto recumbis ?
 Hoc est , & violæ recidunt æstate , roseaque ,
 Infelix lolium , & vanissima durat avena .
 O ætas ! vos præsentes , vos consulo Patres ,
 Quem non corrumpat pubes effræna , novæque
 Libertas properata togæ ; ceu nescia falcis
 Sylva comas tollit , mortem mercede caduca .

Quæ-

Quærimus , & vitam divendere stipe juvabit:
Scilicet hæc remanent prisçæ vestigia fraudis.

Et jam fama volans perniciibus incita pennis
Arces , & pagos omnes , ac oppida circum
Complet , Syfridum Comitum de sanguine natum
Tristem obiisse diem piscinæ in gurgite vasto
Ad Biberegensem vicini littoris arcem.
Exemplò perculsi animi , tristisque per omnes
Luctus it , atque omnes circum implacabilis ardet,
Hoc ævi cecidiſſe decus , tantamne sereno
Tempeſtatem ortam cælo , ut decuſſerit almæ
Spem fegetis , totoque procul ver egerit annō?
Res hominum incertas! & nulli cognita cæli
Consilia ! & tantum ignaras superantia mentes ,
Quantum humilem aethereus tellurem vincit Olympus.
Hæc flentes cecinère alii , nec murmura defunt ,
Caetera qui celebrent: funt , qui præclara juventæ
Dona ferunt ; illi dulces extollere mores ,
Hi mite ingenium , larga illinc copia fandi ,
Illinc collectis sapientia laudibus implet
Ora virūm , stant turbati , purgantque cumentem
Illuviem , mœrēntque pigrum non posse paludis
Humorem averti , bibulos qui inflaverat artus.
Quis memoret , quantas effuderit ore loquelas ,
Quos gemitus mater dederit , dederitque dolores?
Cùm mæſta aspiceret dilectum ante ora Syfridum
Iam vōce orbatum , correptaque frigore membra?
Iamque sub ingenti volvens suspiria corde
Conſternata jacet , simul & dejecta dolorem
Non capit ipsa suum , rumpuntur viscera quondam
Sanguinis unius , media jam parte foventur
Corpore dimidio , nutans stat mater , at eheu!
Non mater , stat mæſta animo , stat fauia mente ,
Atque illis absorpta fovet præcordia lymphis.
O me , si quæ via est , sed quis me ? dixit , & ore
Conticuit preſſo ; tum fecum plurima volvens
Proſequitur , turgent proclivi lumina fletu:
Quis mihi te dulcis puer abstulit? heu mihi ! quis te
Abſtulit ? & mihi te ? nam quæ mihi vita relicta?
An tuæ ego vitæ genitrix ideò , ut mihi poſthac
Te ſine vita foret ? quis ſuave attingere corpus
Quis potuit ? potuit pifcina hoc lædere ? iniqua
O aqua ! tûne rubens hoc os ? hæc membra ? venustum
Hoc corpus tristi reddebas pallida tabo?
Eſtne tua hæc facies , ô fili ! hoc ſuave labellum :
Cui oſcula mille dedi , libertatēmque ſub ipſis
Uberibus tibi confeſſi ? eheu munera noſtra
Ridebas ignarus adhuc , properaverat ille ,
Sed merito properabat amor : modò dulcis alebat
Nos amor ille tuus : ſed jamiam fine fileſcit
Hic amor æterno , & vitam mæſtissima duco.
Omnia nunc ſqualent , jam nocte vagamur opaca ,
Degimus in tenebris , perierunt commoda noſtra.
Ecquid enim nobis non , te pereunte , peribat ?
Ah mæror ſolus noſtro ſub peſtore vivit.
Vivo tenus , moriorque tenus , misereſcite noſtri.
Quid ſupereſt nobis , niſi longos fundere fletus ,
Et gemitu valles complere , & quaſtibus antra?
Surdaque triftificis lamentis ſaxa movere?
Nunc ð nunc repeto , mihi quod præſaga mali mens
Hoc omen generi noſtro quandoque futurum
Prædixit , ſed tunc ea mens incredula mansit ,

Zom. VI. Collect. Monast.

G

For.

Forsan amore tui, ô fili charissime! victa.
 At jam serò nimis, jam frustrà incommoda sarcit,
 Cùm modò faucia alit crudum sub pectori vulnus.
 Hæc dixit, nec plura quidem, namque impedit ora
 Plaga recens, & vocis iter mærore negatum est.

At Pater, indigna quamvis hac morte peremptum
 Syfridum adspectat, tamen id quod rebus egenis
 Iam supereft unum, tristis, mergénsque natantes
 In vultu lacrymas, tolli miserable corpus
 Imperat, & toto lectos ex agmine sumit
 Ipse viros, qui supremum comitentur honorem,
 Intersintque Patris lacrymis, solatia caffis.
 Illi autem vultu tristi, gressuque modesto
 Ibant æquati numero, queis linea vela
 Ad talos fluitant laxè, corpùsque, capitque,
 Et faciem obnubunt, oculis modò parva relicta est
 Ad visum via, qua rerum simulacra ferantur,
 Hinc atque hinc bini nigrò subièrè feretrò,
 Lento procedunt gressu, præit aurea longo
 Hastili præfixa Crucis sublimis imago,
 Et via perpetuo resonat mœstissima luctu.
 Tandem votivis æquato hoc ordine templis
 Successi Sacris animam, precibùsque juvabant.
 Nec mora perfecto solenni more sacrorum
 Conveniunt unà rebùsque animisque parati
 Frigida in angusto deponunt membra sepulchro,
 Suppliciter tristes effati extrema recedunt.

At vos, qui nitido mentem vertistis olymbo,
 Ejus & Authorem præsenti hac luce rogātis,
 Ut rex ille hominum cognata stirpis amore
 Oblitus scelerum, quo pellit nubila vultu,
 Ablutum labè excipiat, lætūmq[ue] reponat
 Sydereos inter Proceres, sanctūmq[ue] Senatum,
 Officium nostris fecistis viribus impar,
 Hic quoque det vobis mercedem munere dignam,
 Insinuans vestris se, cordibus, unde suus se
 Spargat honor, noménque suum, & bona fama perennet.

Ita cecinit Michaël, cui accinuit Fridericus Romelius, vates vati, Abbas Abbatii, sequentem in modum.

Fallor? an es viridi redimitus tempora fronde,
 Tempora Syfridi qui malè fausta canis?
 Non fallor: bifido glömeras diadematè frontem,
 Condita Syfridi qui benè Clastra regis.

CAPUT III.

De Canonicorum Præmonstratensium introductione, habitatione, Ecclesiæ consecratione, & morte Pertholdi Fundatoris.

§. I.

Pertholdus adscitis ex Ursperga Præmonstratibus ad radicem montis habitationem assignat.

Postquam igitur mortis telo confixus, vitæ statione cessit Syfridus filius, fixum patiter ratūmq[ue] stetit Pertholdo Patri, bonorum suorum, ut conjugi suadente proposuerat, cessionem facere. Dubius in eo duntaxat hærebat, quos & unde conquireret, qui perpetuè servitiè in loco dominii sui Dominantium Domino adhærere vel-

vellent. Sed bonæ voluntatis hominem Deus ter Optimus non permisit in ancipi pendere. Vix annus abierat, ex quo Norbertus magni nominis Patriarcha nominatisimi Ordinis sui stirculos Urspergensi Cœnobio implantaverat. Lilia cœlo etiam hyemante vernantia mirabatur Suevica tellus, plus tamen ameno recreabatur odore, qui, ut olim Apostolorum sonus in omnem terram exivit, in omnem latè regionem penetravit. Non poterat Pertholdum emunctæ naris hominem non advertere odoris fragran-
tia, ut propterea vehementissime alliceretur, Similes in hortum suum transplantare. Igitur Urspergensium fores pulsat, exploratus, utrum aliquos exploratae virtutis viros concessurus sit Ulricus Præpositus, futuros Castrorum Bibereckenfis præfidiarios. Repulsam non tulit petitio, & cum electo militum manipulo ad propria latus remeavit. Sed ecce! quos de monte Urspergensi eduxerat, & Collibus suis induxerat, fata minus prospera vix non ad priorem reduxerunt locum. Nempe ad radices jugorum primas Pertholdus posuit Religiosorum Cellulas, qui, ut in montem perfectionis eluctarentur, sub pondere diei & æstus jugum Dei ducere debebant. Et verò promptus omnium erat spíritus, quia radicati in bono singuli, & neminem illorum latebat, facilem de Cella etiam infima ad Cœlorum summa esse ascensum. Sed aér, qui in parte terræ inferiori spírabat densior, & corpus aggravabat, vix non firmissimos infirmabat spíritus. Certè sola vestis candorem, cætera subfuscum tristissimæ mortis colorem referebant. Hoc interim laudis ore minimè adulatorio canimus Majoribus nostris, æquiùs sanitatis in terra non sana quām sanctitatis jaçtaram tulisse, paratos priùs vitā quām loco cedere; unde frons nunquam in rugas caperata, aut lingua in querelas soluta est. Solus Fundator animo concidit, ut vidit, illos de salute periclitari, quos ad suam promovendam, omnèque periculum longius removendum advocaverat. Etiam ridente Phæbo tristes in fronte nubes cojerunt, & dies non paucos curis gravidos, noctes plerasque numeravit insomnes, ut malo remedium ferret in tempore. Tandem hæc animum cogitatio subjet, auram rebus meliorem fore, si verteret castra, & Claustrum cum Ecclesia transferret ad verticem montis. Eventus probavit intentionem.

§. II.

*Monasterium in monte construitur: Ecclesia con-
secratur. Fundator moritur.*

Manum itaque mittens ad fortia, ut crebra remitteret debilitas, & aspirantes ad collæs æternos liberiùs respirarent in monte, quantocyùs, quotquot poterat, conduct operarios, breviori temporis viâ ad tecti fastigia opus sacrum educturos. Initium dat operi manus, manum secundat Omnipotentis dextera, novum exsurgit claustrum, Basilica structurâ prorsus insignis adstat. Quæ dies, quisve annus colophonem sacræ imposuerit machinæ, nemini pro certo incertum vendendo imponere volumus. Illud extrâ dubium est, à filigine, vulgariter Roggen, quæ plurima in circumiacentibus agris nascitur, novum Monasterio venisse nomen, quo hodie vocatur Roggenburg. Completis omnibus, ne denuo hæreret aqua, si deficeret unda, hanc per admotos canales plumbeos molæ aquariæ ministeriô sursum ascendere docuit. Nihil itaque desideratur, quām Sacerdos magnus, qui ritu solenni dedicaret domum Domini. Fecit hoc Conradus Episcopus Augustanus, ut docet adjecta inaugurationis tabula.

In Sanctæ & Individuæ Trinitatis nomine.

Notum sit omnibus tam futuris, quām præsentibus, quòd ego Conradus Dei gratiæ Augustensis Ecclesiæ Episcopus locum in Roggenburg manutenere debeam, fovere & in omni necessitate consulere, tum ex præcepto Domini; Apostolica siquidem mandata præcedentis sunt rata sequentis; tum quòd est in Ecclesiæ nostræ territorio, tum quòd homines ejusdem loci multùm de me confidunt, & fideli servitio, & multo beneficio me sibi obligaverunt; his igitur omnibus concurrentibus ex petitione Fundatorum in eodem loco Altare consecravi in honorem Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Augustini, quibus ab ejusdem Fundatoribus sine alicujus contradictione sunt omnia data ad eundem locum pertinentia tam in parochiis, quām in pascuis, & tylvis, & diversæ conditionis famulis universa in usum Fratribus ibidem Deo servientibus. Ne invidorum autem infestatorum prævaleret manus, Advocatum, qui gladio materiali eidem præfetet loco, postulavi, adductus fuit ex consensu Fratrum, & electione fuit Dominus Bruno, qui se ipsis Fratribus sub hoc pacto tali constrinxit juramento, se nihil unquam exacturum à colonis, nisi quod ipsi Fratres ultrò offerrent: Fundator tamen, ut secundum suam diligentiam in omnibus adderet cautelam, talem instituit ei

pro labore suo impensam, ipso Advocato hoc probante, & de hoc multa certa remittere volente, quin Fratres vellent, solvet de quolibet integro mansu quatuor modios avenæ, de dimidio duos mensuratos mensurâ rusticorum, per quam solent servire suis Dominis, exceptis curiis omnibus, quas ipsi Fratres incolerent suis manibus. Insuper hoc etiam fuit juramento confirmatum, si forte per ipsum Advocatum, aut per quemquam suorum ipso sciente, vel ignorantie aliquid fuisset exactum, vel subtractum in aestimationem viginti solidorum monetæ Ulmensis, si infra duodecim hebdomadas non esset restitutum, & emendatum, ab ipso Voctaria vacaret liberata sine impeditione, & ab omni suo Successore. Præterea ipso decedente nulli liceret jure hæreditario subintrare, sed Fratres haberent potestatem liberè, quem vellent, eligere. Hujus rei testes sunt, qui negotio intererant: Eberhardus Comes de Kirchberg, & filii duo ejus Comes Otto, Comes Hartmannus. Diboldus comes & filius ejus Bertholdus de Berge. Luitfridus & filius ejus Bertholdus de Wizenhorn. Eberhardus de Ryden. Lupoldus de Remesburg. Adalbertus & filius ejus Gebeno de Hegelenhoven. Albertus de Tagenhausen. Ludovicus & frater ejus Bertholdus de Nattenhausen. Bruno, & filii ejus Udalricus et Bruno de Hamburch, & alii quæ plurimi. Data est autem anno Millefimo, centesimo, sexagesimo. Indictione octava.

Post hæc caligaverunt oculi Fundatoris nostri plentissimi, & aliud jam expectabat nihil, quæ ut videret diem Domini, postquam audivit etiam de nocte in Castro suo laudari exercituum Dominum, & omni die devotissimè salutari, quæ Salutem omnium genuit, Mariam. Egit igitur animam, ut dubium non est, felicissimè, qui tam multa in gloriam Dei egerat quæ optimè. Corpus suum, pignus ter nobile, unâ cum ossibus Demuthæ Conjugis reliquit Ecclesiæ nostræ, ut perennaret memoria Patris, quamdiu lapides clamabunt, se opus esse Pertholdi. Sepulchrum tamen nulla inscriptione condecoratum erat, aut si fuit, temporum injuria vel hostium voracitas exedit. Layvelius Sac. Ordinis nostri Abbas Mussipontanus illam restituere conatus est; sed quoniam haud credere possumus coævam sepulturæ, utpote antiquitatis rudioris nec genium nec verba præferentem, quamvis comptum & lapidarem reparatæ latinitatis stilum non æmuletur, illam inserere hic nolumus. Cum verò priori templo nova hodie succederit Basilica, & saxum sepulchrale charissimi Fundatoris recesserit ab oculo, ne memoriæ succendentibus sibi temporibus etiam recedat à corde, in tempore juvamus memoriam, & levidense quoddam, dum urnæ haud amplius licet, gratitudinis anathema chartæ perennaturæ, quæ saxy suppleat vices, appendimus.

Hic jacet Pertholdus,
Per quem stat Roggenburgum;
Ex illustri Comitum de Bibereck familia natus,
Plùs à virtute comite fuit illustratus.
Demutham Comitissam de Hohenzolleram
In conjugem sibi elegit,
Nempe fæminam ævi sui lectissimam.
Filium habuit unicum,
Et hunc, quia Sifridus, non Petrus fuit,
Ambulantem haud tulit,
Sed sustulit aqua.
Ab illo tempore Pater fuit absque prole,
Sed non absque filiis,
Quos moriens reliquit plurimos,
Et omnes candidos.
His cum omnibus bonis suis etiam Castrum donavit,
Ut videlicet acciperet regnum.
Hoc adiit,
Dum è vivis abiit;
In solium regale ascendit,
Quando in sepulchrum mortuus descendit.
Lector dubitas?
Vade, & vide;
Sed metue,
Ne clausa tibi sit janua,
Dum longè alia, quæ Pertholdi, sunt tua opera.
Iam abi, & vive,
Ut quondam abiturus valeas.

§. III.

§. III.

Annotationes.

Ursperga, quæ primos Roggenburgo dedit incolas, percelebre Sueviæ nostræ Cœnobium est, fundatum anno 1125. à Wernerô Regiæ, ut creditur Polonorum & Hungarorum stirpis surculo, & ejus conjugæ Richenza ex Marchionum Austriacorum sanguine oriunda. Sita est ad fluvii Mindulæ ripas, medio Ulmam inter & Augustam itinere. Primò regebatur per Præpositos, hodie veneratur Abbates, quorum primus erat Henricus de Rain; Infulatus verò Wilhelmus de Thannhausen.

Conradus, Episcopus Augustanus, quem consecrassæ diximus Ecclesiam, natus erat ex familia Comitum de Lizzelstain. in Catalogo Episcoporum numeratur 32dus, electus anno 1152, mortuus anno 1167.

Jus Tutelæ, seu Advocatiæ, cum ipsis penè Cœnobiis natum est, & primis plerumque fundationum litteris inseri solet. Variis omnino modis comparari, Canonica Jura ostendunt apud Vasquez Opusc. de benef. c. 2. D. 2. Leff. L. 2. de just. c. 34. D. 5. Non alio autem fine Jus illud sæculari Magistratui à Romanis Pontificibus tribui primùm cœpit, quām ut fiduciarios Clientes contra vim majorem & violentiam protegerent; unde & iis potissimum cessit, qui vel Ecclesiæ ædificandæ fundum assignarunt, sive, quod idem est, Ecclesiam fundarunt, ædificarunt, aut dotarunt. Quod si Fundatores honorem hunc vel recusarunt, vel quocunque ex capite ab Advocatia sunt exclusi, Religiosis Advocatum eligendi libera facultas erat; & hoc modo primus, qui Ecclesiæ nostræ materiali præfuit gladio, nominatus est Dominus Bruno. Quis autem iste Bruno fuerit, hactenus reperire non potuimus.

Mansus, ex quo Fundator pensionem assignavit Advocato, in Thesauro practico Besoldi sic describitur. Mansum vocant Latini, quasi eines manns madt, idest, so vill ein Mann in einem tag machen kan. Propriè mansus dicitur, quantum quis cum pariboum laborare potest in anno, ut notat Bartol. Cujacius dicit, esse prædium, fundum, heredium, unde colonus se & familiam suam commodè tueri possit, ac insuper vectigal & Censum Domino præstare. Cassiodoro & Gregorio teste, Mansus neque dominus est, neque area, neque hortus, sed ager certi modi ac mensuræ. Alii denique ajunt, Mansum certum esse prædium, seu agri dimensum duodecim jugera continens, ita ut, quoties mansum nominamus, intelligamus duodecim jugera.

C A P U T IV.

Gerungus primus Præpositus.

§. I.

Insignis disciplina Religiosorum.

Agmen Candidum, quod, ut prædictimus, ex Urspergensi Canonia Roggenburgum vocaverat Fundator pientissimus, duxit Gerungus, obscuri quidem inter homines, sed notissimi super astra nominis homo, & gregis innocui Dux meritò primus, utpote nulli aut pietate, aut rerum agendarum dexteritate secundus. Quis genus, unde domo fuerit, nescimus. E Galliis à Beatissimo Patre Norberto Urspergam fuisse submissum, extrà omnem controversiam est; Cœlestem in terris vitam egisse, illorum, qui Gerungum vel dicentem audierunt, vel conversantem viderunt, testimonio comprobatum. Quamdiu Roggenburgo præfuit, profuit, Martham cum Maria in domo Mariæ provide non minus ac piè confocians. Cum in ipso duplex Eliæ nostri Candidissimi Spiritus requieverit, neminem è suis patiebatur corde duplum, sed omnes voluit esse columbas simplices, simul tamen prudentes ad instar serpentum, ut videlicet antiquam mutare pellebant, & caput seu animam servare disserent, si corpus periret. Nullum ovina pellis tegebat lupum, & vestis candida candorem mentis prodibat. Quamvis autem, ut Capite præcedenti insinuavimus, illorum aliqui ex aëris intemperie sanitatis jacturam fecerint, ut vix pedibus subsistere valerent, omnes nihilominus & singuli viam mandatorum Dei alacres currebant, quin etiam super pennas ventorum volabant, nullo unquam turbine fracti. Nempe quæ Romanis olim propria fuit, tunc communis Præmonstratensium virtus erat, fortia pati. Crebra illis jejunia, abstinentia à carnibus fuit perpetua; nunquam tamen esuriebant, aut fitiebant, nisi solam justitiam. Viri fuere prorsus Apostolici, sed Apostolorum Principi in eo dissimiles, quod, cum iste ad gallicinium fleret amarè, illi lætabundo gutture cantarent,

Tom. VI. Collect. Monast.

D

me-

media nocte surgentes ad confitendum nomini Domini. Nemini licebat esse otiosum, neque tamen è Cellis proscribebatur otium, illud intelligimus, quo Maria sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Per diem sic laborabant, ut ab oratione non cessarent, nos autem meritò possimus dicere, laborem illorum orationem, orationem fuisse laborem, opus neutrum laboriosum, quia vel maximè jucundum. Pedibus in terra, mente ambulabant in cælis, adeò ut homines dubitare cæperint, an novos Roggenburgensis Asceterii inquilinos sui similes dicere, aut Angelos venerari deberent, non quidem in albis ad Sepulchrum Domini sedentes, sed in castro Pertholdi pro Castris Dei fortiter pugnantes, quorum suo quivis officio strenuè didicerat fungi, dum Gerungus verè novus Gedeon nullum videre poterat hominem fungi. Ad hujus nutum pes cucurrit, manus non languebat, membra quævis movebantur; sola immobilis fuit lingua, ut omnino elingues credidisses, nisi magnalia Dei loquentes audiisses. Quid multis? compendium vitæ damus Lectori in verbo uno unico: erant Canonici Præmonstratenses.

§. II.

Monasterium sub protectionem Apostolicam recipitur.

Quoniam verò, ut supra montem posita erat Civitas ista Dei, prudenter metuebat Gerungus, ne, si fortiori careret præsidio, tempore suo fortes inferorum portæ prævalerent adversus eam, supra petram stabilire cogitavit, illam videlicet, cui in Petro Petra Christus stabilitatem perpetuam spopondit. Præcipua proin Gerungi cura fuit, ut suis, qui Apostolorum sectabantur vitam, Apostolicam procuraret protectionem. Sedebat in diebus illis super Cathedram Petri, ut rectius loquamur, lucebat è specula suprema Lucius II, quem, si dies Pontificatus numerare velis, fixas inter stellas scribere haud poteris: si meritorum virtutumque splendorem attendas, locum ejus inter sydera errantia non quæreres, ni toto cælo aberrare studeas. Ab hujus igitur Lucii luce, velut à Sole Luna, lumen mutuavit Gerungus noster, dum à Patre Sanctissimo filius pientissimus petiit, sub patrocinium Apostolicum recipi. Facilè, quod supplicabat, impetravit, quæ Roggenburgo stabilitatem adpromisit. Super quo ne dubitet Lectorum fides, fideli calamo subjungimus Lucii Bullam.

Lucius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Gerungo Præposito de Roggenburg, ejusque Fratribus, tam præsentibus, quām futuri Regularem vitam professis in perpetuum. Apostolici moderaminis clementiæ convenit, Religiosos diligere, & eorum loca pia protectione munire. Dignum namque & honestati conveniens esse cognoscitur, ut, qui ad Ecclesiarum regimen assumpti fuimus, eas et à pravorum hominum nequitia tueamur, & Apostolicæ Sedis patrociniō foveamus. Ea propter dilecti in Domino Filii Venerabilium Fratrum nostrorum Gwalteri Augustensis, & Conradi Curiensis Episcoporum precibus inclinati vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Beatæ Dei Genitricis sempérque Virginis Mariæ, & Sancti Augustini Ecclesiam in Roggenburg, in qua Divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & Nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti privilegio communimus, statuentes, ut, quæcunque possessiones, & quæcunque bona in præsentiarum justè & Canonice possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, Deo propitio, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant.

Adjicimus etiam, ut Ordo Canonicus, qui secundum Beati Augustini Regulam in eodem loco, & Institutionem Præmonstratensium noscitur institutus, ibidem perpetuò teneatur. Nec alicui Fratrum liceat post factam ibi professionem absque Prælati sui licentia de Claustro discedere, discedentem vero nullus Episcoporum vel Abbatum suscipere audeat, vel retinere. Sanè de laboribus, quos propriis manibus sumptibusve colligit, sive etiam de nutrimentis animalium vestrorum nullus omnino Clericus vel Laicus decimas à vobis exigere præsumat.

Obeunte verò Te, nunc ejusdem loci Præposito, nullus ibi qualibet surreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratrum pars Confiliī sanioris, secundum Dei timorem, & Beati Augustini regulam sibi providerint eligendum. Liceat autem vobis in parochialibus Ecclesiis, quas tenetis, de Fratribus vestris, sive de aliis, Sacerdotes constituere, quibus, si idonei fuerint, Episcopi parochiæ curam consensu vestro committant, ut ejusmodi Sacerdotes de plebis quidem cura Episcopo rationem reddant, vobis autem pro temporalibus debitam subjectionem exhibeant. Ad indicum autem, quod idem locus, præfato fratre nostro Conrado Episcopo & fratribus ejus, Sigefrido scilicet & Bertoldo, Beato Petro oblatus sit, & sub ipsius protectione confi-

consistat, bizantium aureum Nobis nostrisque Successoribus annualiter persolvet. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut ejus possessiones afferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura; salva Apostolicæ Sedis Authoritate & Diœcesani Episcopi canonica reverentiâ. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Sæcularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens, temerè contra eam venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, si satisfactione congrua non emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate caret, reāmque se Divino judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine distictæ ultiōni subjaceat. Cunctis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri JESU Christi, quatenus & h̄c fructum bonæ actionis percipient, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego Lucius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

Ego Conradus Sabinensis Episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Presbyter Cardinalis subscripsi.

Ego Theodoguidus Sylvæ candidæ Episcopus subscripsi.

Ego Guido in Romana Ecclesia Altaris Minister indignus subscripsi.

Datum Laterani per manum Baronis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi septimo Idus Novemboris, Indictione septima, Incarnationis Dominicæ anno Millesimo, centesimo, quadragesimo quarto, Pontificatus anno primo.

§. III.

Gerungus augmentat bona temporalia.

Sic itaque de tecto solido Lucius providit Gerungo cum suis; huic autem porrò videntur dum erat, unde calefaceret focum, nè primò tepescere, paulò post omnino frigore inciperet suorum pietas. Evidem impietas non eluenda foret, vel suspicari tantum, ad ollas Ægypti nostros aspirasse Patres; sed de cacabo, in quo eēpe, & legumina coquerentur, nunquam somniasse, somniantis delirium est. Si plenus venter non studet libenter, nec cor eructabit verbum bonum, quando stomachus perpetuò latrat. Certè vel Christus ipse misertus est super turbam, quæ famelico ventre per triduum sustinuit docentem. Et quamvis non modicum fuerit, quod de mensa Pertholdi in manus pauperum cecidit, crescente tamen Fratrum numero panem inter digitos multiplicari necessum videbatur. Ergo, quæ pia Gerungi erat providentia, nemo pusillanimem vocet diffidentiam, utpote qui sollicitus erat hodiè, ne fratres sollicitarentur, quid dies crastina esset paritura. Nimurum à formica didicerat, congregare in æstate, quod frigida consumeret hyems. Hunc in finem super quibusdam bonis Monasterio incorporandis transfigit cum Conrado & Sifrido, ut sequens Copia Transactionis docet.

In Nomine Sanctæ & individuae Trinitatis, Amen.

Notum sit omnibus scire volentibus, qualiter ego Gerungus nunc Præpositus in Roggenburg, & Fundator Bertholdus cambivimus cum Kunrado pro possessionibus, quas habuit in Mayleneshoven & Franckenhoven, Winzingen, inbeneficiavimus eum & filios ejus manso & molendino Hadbrechtshove, retinentes vivarium in usus nostros, ea videlicet cautione, quod ad filios, decedentibus Patribus, beneficia transeat, medietas beneficii ad filias transeat: si filii & filiae defuerint, Claustrum, quod suum est possideat. Similiter notum sit, quod Sifrid Böckelin, quia de progenie fundatorum Claustrum fuit, petitione Dominorum, quia filios non habuit, filiam suam inbeneficiavimus de beneficio, quod Henrici Pateriches fuit. Cætera beneficia Sifrido decedente libera sunt. Statuimus idem de beneficio Bertoldi Meldonis, ut ad filios filiorum nullum pacto transeat. Henrici vero de Hohenwang beneficium ab omni impulsatione posteriorum liberum sit. Decedente vero Bertholdo Brunone, ejus beneficium in usum Fratrum Deo servientium omni remota occasione redigatur. Si quis ergo aliter fieri attentaverit, sciat se pro hac prævaricatione ultimæ Dei sententiæ subjacere. Amen. anno Incarnationis Domini 1146.

§. IV.

Annotationes.

Lucius II. in Pontificatu secutus est Cœlestinum II. origine Bononiensis, nomine Gerhardus, à Gregorio VI. ad dignitatem Cardinalis & Cancellerii Sacrae Ecclesiæ promotus est. Undecim duntaxat menes ac dies aliquot in Cathedra sedit, multa paſſus à Romanis, volentibus, ut Regalia cederet Patrio, ipſe autem decimis & Oblationibus contentus viveret.

Gwalterus, sive Waltherus, Episcopus Augustanus, de quo Bulla Pontificia mentionem, natus erat ex familia Comitum de Tubingen. In Episcopum electus anno 1134, numero fuit XXXI, obiit 3. Septembris 1153.

Mirari fatis nequeo, quod bona in Mayfeneshoven (Mefshoven dicitur hodie) de quibus in copia Transactionis, quidam adscribere ausint Conrado Episcopo Curienſi. Vel talpa palpat errorem, dum audit, manso & molendino in beneficiari Conradum & filios ejus. Alius ergo Conradus iste ab illo pientissimo Episcopo, de quo mox plura.

C A P U T V.

De primogenita Filia Canoniae Roggenburgensis, seu de Monasterio S. Lucii in Rhœtia Transalpina.

§. I.

Brevis explicatio Rubricæ.

Peregrino fors idiōmate tibi loquimur, Lector Benevole! dum audis, Cœnobium Sancti Lucii in Rhœtia transalpina nominari primogenitam Canoniae Roggenburgensis filiam. Ut igitur intelligas rubrum, paucis attamen plenè te docebit nigrum. Jam à primis Candidissimi Ordinis nostri incunabulis mos inolevit, vi cuius in duplicem classem Monasteria discriminamus. Alia enim titulo Matris honoramus, alia Filias salutamus. Matres dicimus, quæ de gremio suo emisit Religiosos, ut Cœnobium vel recens fundatum, vel quacunque demum via & modo Canonico Ordini nostro incorporatum & aggregatum incolerent. Sic Roggenburgum submissa cervice ut Matrem veneratur Urspergam, quia Gerungum cum electâ coloniâ misit, ut primus incoleret coleretque agros Siligoburgicos. Quoniam ergo Haymo unus ex nostris de gremio Roggenburgensi in Rhœtiam transalpinam eduxit Religiosos illos, qui Cœnobium Sancti Lucense, ab Ordine S. Benedicti avulsum, & nostro aggregatum inhabitare cœperunt, hinc est, quod Rubricam huic capiti præposuerimus in hæc verba: *De primogenita Filia Canoniae Roggenburgensis, seu de Monasterio S. Lucii in Rhœtia transalpina.* Porro Abbes Ecclesiæ matricis dicuntur *Patres Abbes*, Præfules Canoniae Filialis *Filli Abbes*. Amplissima olim, hodie restrictior, major tamen, quam Vicarii generalis aut Visitatoris, est Patris-Abbatis potestas in Ecclesiam filialem, ubi præter alia electionibus, etiam præsente Vicario Generali, præsidet. Abbes Sancti-Lucenses ex toto dependebant ab Abbe-Roggenburgensi, ita quidem, ut quodad bona Canonie nihil omnino disponere potuerint fine hujus præscitu & consensu, usque dum ob distantiam loci Christianus à Joanne anno 1572. & Hieronymus à Vito 18. Januarii anno 1586 impetraverint plenam potestatem in bonum Monasterii disponendi, ut testantur litteræ Viti Abbatis.

§. II

Monasterium S. Lucii incorporatur Ordini.

Dum multa pro filiis præclarè agit Gerungus, isti nihil non egerunt, ut conversatione sua placent Domino. Pro minimo duxerunt, si à Magnis magni haberentur, & tamen, quam toto studio aspernabantur, æstimatio hominum semper à tergo pedis sequa fuit adeò ut, dum omnes in sui amorem & admirationem raperent, ipsi à maximis hujus mundi Principibus ad loca etiam remotissima raperentur. Hos inter Conradus erat, Episcopus Curiensis, & Pertholdi Fundatoris nostri tam pietate quam Sanguine germanus Fra-

Frater, de illustrissima Comitum Bibereckensium prosapia oriundus. Viderat quidem Conradus nobilissimis Majorum ceris paterna sumare atria, sed oculos sibi ab inanis gloriae fumo obcæcari haud passus est, solam & solidam, quæ à solo Deo est, gloriam quærens. Ea propter Sagum exuit, togam Clericalem induit, factus Canonicus Ecclesiarum Cathedralium Curiensis, Constantiensis, & Augustanae. Propè dixisset, fuisse Canonicum Regularem, adeò exactam ad regulas sacrorum canonum vitam vixit, ut viva cæteris vivendi regula, & dignissimus fuerit, qui Curiensis Ecclesiæ anno Domini Millesimo, centesimo, vigesimo secundo Episcopus renunciaretur numero quadragesimus quartus. Æterno pudoris rubore nos suffundi necessum esset, si candorem animi, quem in candidæ Religionis Alumnos ad tumbam usque præseferebat, taceremus. Perholdum fratrem ut sua Deo offerret, cum Demutha non tantum urgebat, sed & sua conferebat liberalissimus Præfus. Attamen quasi nihil despiciens ea, quæ nobis transcriptis, tam altè Præmonstratenses in corde suo descriptis, ut nec temporum nec locorum distantia vel litteram obliterare potuerit. Crederes, vel inter opacæ noctis tenebras magnum hunc Episcopum de nobis somniaasse, ita vigil in omnem occasionem fuit, nostris beneficiandi. Neque prius hæc pia cura quievit, quam dum inter Gryones suos albicantem florere Ordinem, & hujus professores à latere suo Episcopali hærere conspexit. Rem, sicuti gesta est, Lectori pandemus ex ordine.

Sedes Episcopalæ Curiæ, quæ Rhœtiae Transalpinæ Metropolis salutatur, quemadmodum ætate, ita Religionis Zelo in partibus Teutoniæ nostræ prima fuit. Etenim sub Vigilio vigilantissimo Ecclesiæ Romano-Catholicæ Pastore, & Justiniano I. famigeratissimo illo Jurisconsultorum oraculo, habenas Imperii moderante, Curia in Cathedra sua jam ordine decimum numeravit Episcopum, nomine Valentinianum, virum omnibus numeris majorem, & Sanctorum fastis adnumeratum, quo tempore alibi ad ovile suum vix primâ modulabatur aenam mitratus Pastor. A cura in suos gerenda Curiæ nomen esse, & Sede Episcopali indignum sese creditit Valentinianus, si federet incurius. Qua propter id unum curabat unicè, ut nulla periret ovis, omnes gemellis fœtibus genuinæ pietatis & veræ Religionis essent graves, quatenus sic leviori brachio ad caulam æterni Pastoris perduceret. Atque ut certius cælum faveret votis, ipse præ cæteris fovit personas Religiosas, probè gnarus, horum labore & sudore citius crescere Religionis fervorem. Hos itaque in partem pastoritatem curæ suæ evocavit Valentinianus, atque, ut Proprium Curiense ad diem IX. Octobris, sacræ memorie Valentiniani sacram, loquitur, ex Cellula & Oratorio S. Lucii, quæ erant ad Aulam Episcopalem, circa annum quingentesimum quadragesimum amplum eduxit cœnobium, quod honori S. Lucii consecratum, magnò postea virorum ac virtutum incremento floruit. Ex quibus sole meridiano clarior est tam venerandissima Monasterii canities, quam etymologia nominis, quo usque in presentem diem à S. Lucio, utique primo Curiensem Episcopo, se glorianter scribit. Situm porro quod ait, is omnium amænissimus est. Extra muros quidem civitatis Curiæ, proximum tamen Aulæ Episcopali, & Canonicorum Cathedralium residentiæ adjacet, constructum ad radices montis, Mittenberg nuncupati, ut scilicet incolæ in bono radicati via quasi breviori ad Montem, qui Christus est, ascendere valeant. Aura plerumque dulcis spirat & placida, & tetricus Euri Notique turbo penitus loco ignotus est, quatenus levioribus favonii pennis nunquam non in altis volitarent, haud turbati. Rhenus quoque magni in orbe nominis flumen, haud procul ab urbe præterfluens, immenso & supereffluenti Divinæ Bonitatis oceano se frequenter immergere suadet, quod felicior in littus beatæ perennitatis emersio subsequatur: montosa denique Rhœtia, quam totam liberior oculus circumspicit, non nisi colles æternos animum suspirare docet. Paucis: ipsamet natura locum pietati finxit, ut nemo incolarum se venderet impietati. Et verò maxima loco benedictio venit ab indigenis, qui presso pede D. Benedicti sequebantur vestigia. Ab habitu suo nigri, à moribus candidissimi probabantur. Et quamvis jurati paupertatis essent cultores, neminem tamen reperire fuit, qui non multo eoque ignito abundaverit auro locupletissimæ devotionis. In mundo, sed non de mundo erant, quorum tota conversatio in cælis fuerat. Nunquam nisi in laudem Dei loquebantur, quæ diu noctuque ab illorum linguis suaviter consonantibus sonabat, reduplicatè inter montes ab æmula Echo tam suavi sonitu. Sed mutabilitati subjacere quis negabit Claustra Religiosa, dum cæli solidissimi grandem & insolitam labente Lucifero passi sunt mutationem? anni sat multi jam abierant, quibus pede semper immoto in via Domini steterunt servi fideles; cum ecce retrocedere in semitis Dei, in multis excedere, tandem omnino abire in consilio impiorum, stare in via peccatorum, & in Cathedra pestilentiae sedere cæperunt. Vehementer indoluit Conradus, legis Divinae & Disciplinæ Monasticae Zeletes acerrimus, Zelum ibi nullum esse, ubi cælum putabat, & in cellis agi, quod meritò celari oportebat. Nec immeritè majora

Tom. VI. Collect. Monast.

E

mala

mala metuebat plebi suæ, cùm videret in malis exultare, qui suprà plebem exaltati fuerant. Omnem igitur movit lapidem, ad meliora ut permoveret, sed non sine cordis dolore maximo in lapidem obriguissè invenit, nulla vel frigida rigoris vel calida amoris cævandum aqua, qui velut aquam totam iniquitatem pleno jam gutture imbiberant, mustō nequitiae ad lethalem usque somnum ebrii. Ad ultimum probatis tentatisque omnibus tandem resolvit, vitam adeò dissolutam viventes loco movere, atque indignis qui ulterius ministrarent in Sanctuario Dei, ministros sanctiores substituere. Annus à nato Redemptore tum agebatur millesimus centesimus quadragesimus sextus, quo tam sancta consilia agebat Princeps pientissimus, quæ ut felici coronaret exitu, exeuntibus Monachis nigris properavit inducere Canonicos candidos. Exemplum proinde Pertholdi fratris sui fecuturus, ablegat, qui à Gerungo Roggenburgensem Präposito peterent surculos quosdam, terræ Sancti-Lucensi implantandos. Tanto Principi de Canonia nostra optimè meritò obsecundare posse, meritò primas inter gratias numerare potuit Gerungus. Quare nihil tergiversatus, Heimonem sub Prioris titulo cum Sociis aliquot destinavit, qui plantatum à S. Valentianino hortum in sudore vultūs sui rigarent, ne quaquam dubii hærentes, magnum à Deo dandum fore incrementum. Exierunt igitur ad opus grande destinati, magno spiritu animati, & non nisi ad fortia nati. At qui putabant, se exire de terra & de cognatione sua, extrà patriam Patrem longè amantissimum repererunt in Conrado, à quo amicissimè recepti, mox in actualem Cenobii, jurium, & universarum ejus pertinentiarum possessionem immisii sunt. At illi continuò manum mittentes ad aratum, Instituto D. Norberti & Domus administrationi initium fecerunt.

§. III.

Incorporationem confirmat Eugenius III. P. M.

Incorporationem tali, ut præfertur, modo per celissimum Principem Conradum factam Eugenius Papa III anno 1149. sequentibus Litteris stabilivit.

Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Aimonii Priori Ecclesiæ Sancti Lucii &c. Justis Religiosorum desideriis consentire, ac rationabilibus eorum petitionibus clementer annuere Apostolicæ Sedis, cui largiente Domino deservimus, Authoritatis, & fraternæ charitatis vinculum nos hortatur. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Beati Lucii, in qua Divino mancipati estis obsequio, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti privilegio communimus: statuentes, ut, quascunque possessiones, quæcunque loco in præsentiarum justè & canonice possidentis, aut in futurum concessionem Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu etiam aliis justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc duximus propriis exprimenda vocabulis. Curtem quæ sita est in villa, quæ vocatur *Maging*. Curtem in villa, quæ vocatur *Rinnena*, in villa, quæ vocatur *Avinne* curtem & vineam. In civitate Curiensi vineas, agros & prata. In villa, quæ vocatur *Paiste*, curtem unam; in villa, quæ vocatur *Umblico*, curtem unam. Ecclesiam S. Mariæ sitam in sylva *Angerica* cum omnibus appenditiis suis. Statuimus quoque, ut Ordo Canonicus in vestra Ecclesia institutus secundum Beati Augustini Regulam perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Obeunte verò Te nunc ejusdem loci Priore, nullus ibi qualibet astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris secundum Deum providerit eligendum. Sanè laborum vestrorum, quos de novalibus propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium, decimas nullus à vobis exigere præsumat. Decernimus ergò, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam perturbare. . . Si qua igitur in futurum Ecclesiastica Sæcularisve persona, hanc nostræ Constitutionis paginam sciens contra eam venire tentaverit. . . Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri IESU Christi. . . Amen.

Ego Gregorius Presbyter Cardinalis S. Callixti.

Ego Hugo tit. in Lucina Presb. Card.

Ego Guido Ostiensis Episcopus.

Ego Octavianus Diaconus Card.

Ego Jacintus Diac Card. S. Mariæ in Cosmed.

Datum

Datum Tusculani per manum Bosonis S. R. Ecclesiæ Scriptoris. Octavo idus Novembris, Indictione XII. Incarnationis Dominicæ anno MCXLIX. Pontificatus Domini Eugenii Papæ III anno quinto.

Qui varii casus, quæ procellæ & turbines, prædominante Calvinò & Zwinglio, jactaverint prostraverintque Sancti-Lucenses, quamquam nec amænum sit scribere, nec audire jucundum, suis quæque locis inferemus. Interim redeamus ad Conradum.

§. IV.

Conradi perennis memoria Roggenburgi.

Priùs vitæ, quām beneficiis, finem fecit Conradus. Etenim dierum & meritis plenus anno 1150. obdormivit in Domino, qui annis sat multis in omne bonum nostrum vigilarerat. Dignum igitur & justum est, ut memoria ejus nunquam viverè definet Roggenburgi. Et hunc in finem Anniversarium solenne, à Fundatoribus dictum, perpetuis temporibus solenniter celebrandum instituere Majores nostri. Vigilias defunctorum cum Officio IX Lectionum, pulsatis omnibus campanis, recitamus, die Officio solenniori non impedito, præmissâ, ut vocamus, Commendatione media defunctorum; primum Solenne Sacrum de Requie cantatur à Reverendissimo Abbe nostro, ad cuius initium, medium & finem clangunt omnes campanæ. Lecto Evangelii textu Sacerdos ascendit in Suggestum, & ex deputato libello nomina Fundatorum Perthodi, Conradi, Sifridi & Demuthæ, tum Benefactorum & Abbatum prælegit, persolutis in silentio pro unaquaque classe precibus. Alterum solenne Sacrum perstrepentibus tubis ac tympanis in honorem B. V. Mariae unus de confluente Venerabili Clero Sæculari offerre solet. His finitis pauperum turbæ, cui Anniversarium hoc ex vicinis cathedris denuntiatur, eleemosynæ, panis & pecunia, distribuuntur. Sacerdotes nostri in refrigerium Defunctorum singula Sacrificia tenentur applicare. Hæc pro Conrado in Ecclesia. Perennat ejus memoria etiam in ædibus aulicis, ubi paucis abhinc annis veneranda ejus effigies affabré depicta prostat. Ut verò etiam non emoriatur ejus recordatio, huic folio sequens epicedium appendimus.

Vixit Conradus, Princeps Celsissimus,
Vivit excelsior cælis factus.
Fuit Pastor animalium Reverendissimus
Est perpetuâ reverentiâ dignissimus.
In Ecclesia militante triplicem egit Canonicum,
Curiæ, Constantiæ, Augustæ
Curionem Augustissimæ Trinitatis constantissimum
In Ecclesia triumphante
Agit adoratorem Dei canonizandum.
Natus ex Comitum de Bibereck familia,
Bonorum suorum hæredes scripsit Dei familiares.
Cùm viveret, Deo vixit;
Ut viveret cum Deo, vixit
Anno jubilæo
1150.
Sine fine jubilatus in cælo.
Nam tutè credimus,
Quod è Curia,
Quam administravit annis viginti & octo,
Ascenderit ad Curiam cœlestem,
Regnaturus per tot sæcula,
Quot æternitas habet momenta.

C A P U T VI.

*Origo Monasterii Churvaldensis secundæ
Roggenburgensis Filiae.*

§. I.

*Adducitur descriptio primæ fundationis, facta à Conrado
Monacho San-Gallenfi.*

Quod Roggenburgum Mater sterilis non fuerit, primogenita probat Filia, Canonia Sancti Lucensis: fæcunditatem demonstrat proles altera, Patre eodem, scilicet

20 HISTORIÆ ROGGENBURGENSIS

cet Gerungo primo Præposito , inter Gryfones nata , & primitus à valle Corvantianâ Corvantiensis , hodie autem Churwaldia dicta.

Fundatorem filia candidissima veneratur militem quemdam inter Gryfones valde opulentum , nomine Rudolphum de Aqua rubea , qui qualiter fundationi manus admovevit , disces ex sequentibus , quæ facilè persuadebunt , ut exclames : Digitus Dei erat iste.

Miris miriora non è digitis nostris recensemus , sed veritatem alienis enarrabimus verbis , nimirum Monachi cuiusdam Sangallensis , rei seriem ex vernaculâ in latinum idioma jam aliquot ab hinc sœculis fideliter transferentis. Antiquitas styli si fors offendet Lectorem , antiquior recreabit veritas.

In diebus illis regnante gloriosissimo Rege Friderico semper Augusto , cùm Reverentissimus in Christo omniq[ue] morum honestate præclarissimus Conradus Pontifex Cathedra Pontificali in Curieni floreret Ecclesia , tunc Religio in tota montana Recia admodum cœpit vigere : & res Ecclesiasticæ doctrina ejus & exemplo in meliorem statum provenire. Erat tunc temporis in ea provinciæ parte miles quidam Rudolphus nomine quam prætaxavimus cliens de non parva oriundus prosapia , quem morum compositio solaribus filiis videlicet hujus sœculi reddidit gratum ; aceedebat huic facto formæ personalis egregia protervitas , ac militaris super id quod dici potest aut credi , actus & gestus , quæ sic eum inundo allexerant , ut non facilè de faucibus ejus posset eximi , quoniam princeps hujus mundi , qui hunc sibi in servum addicaverat , de suis locis minimè relaxabat , in suis tamen æqualibus cùm nimis esset benevolus ac prodigus favorem arrectis auribus , prout consuetudo est filiorum harum tenebrarum , ac linguas adulantium oblectando accepit , non attendens illud Sapientis elogium : Si te lactaverint peccatores , ne adquiescas eis. Nemo in suos lenior hostes , quoniam his maluit esse pavori , quæ amori , sicut dicit Oracius : vultum verba decent iratum plena minarum. Hic inter divites terræ illius medio se statu habuit ita , ut non hunc paupertas à divitibus excludat , neque divitiarum honustas alta nimis sapere compellat. Sola animi libertas ad ardua complexanda nimis hunc vegetabat. Quid multa , non erat vitium mundiali tamen quadam indagine falsò licet honestem , quod non ipsum suo subtraherit Creatori. Cùmque prodigus jam filius effectus tanquam suæ interioris dissipator substantiæ siliquis pasceretur porcorum in mundi ejus volutabro cœnofo , neque se ipsum cerneret interius , quis aut cujus capit is membrum fuerit , non recordans : & in sua detestabili consuetudine perdurans , qua solebat causâ visitationis aliarum ædium hac illaque vagari. Dispensante miseratione Divina contigit hunc in Ramuscæ oppido Engedinæ vallis in confinio influuii pernoctare.

Locus ille frequentia populorum tunc celebris erat propter mira B. Florini Confessoris , qui hoc meruit apud Dominum , ut virtutes plurimæ per eum fierent , nullus enim ægrotus illuc confugit , qui non celerem consequeretur gratiam , si tamen petenti fides non defuit. Audierunt interim parentes mulieris cuiusdam , quæ à dæmonio fuerat obsessa , de virtutibus Sancti Florini , qui illuc usque non sine muliere misera adventantes flagitabant cum lacrymis subsidium , fit concursus utriusque sexus , ut fieri solet in hujusmodi rebus : nam popularē est novis relationibus adplaudere , etiam si quid finistrum hauriant , prout in hujusmodi negotiis solet evenire. Venit ergò illuc & prænominatus miles Rudolphus. Crescente frequentia populorum magis miseram vexabat spiritus immundus ; interrogatus tamen nullum voluit dare responsum , fortè sic miseratione dispensante Divina , quia miles ille sœpè nominatus jam tum de longinquò cœpit agnoscere , mente alienus in se ipsum redire. Jam enim furiis infernalibus in timore se fore didicit , quam si pateretur in corpore cum insensata illa muliere ; sicut enim capillus præcisus à corpore dolorem non ingerit , cùm sit de corpore , sic illa minori subiacuit pœnæ passa in corpore , quæ is , qui mente passus est & corpore. Nam concupiscentiæ passiones sunt animæ , assensus verò mortificat animam. Sed jam redeamus ad propositum. Ex consilio igitur Rudolphi fidicen requiri jubetur , qui dulci modulamine dæmonem ad responsa invitet , nam & David Saulem cytharæ dulcisono mitigavit modulamine cùm spiritus hunc immundus vexaret. Videns ergò arrepticia illa laborantes in conquirendo fidicinæ , qui tunc fortè ibi fuerat ad depingendam S. Florini Ecclesiæ conductus , in hæc verba prorupit : quid tu Rudolphe , vocans eum ex nomine familiarem tanquam ac domesticum , quid tu inquam ingeris ad exquirendum fidicen , qui de me quod nolo extorqueat ? nonne tu es de numero illorum unus , qui principis nostri est ? assensum semper præbuisti , imò semper spero præbiturum. Cùm ergò de nostro sis collegio , præpara te ad percipiendam à principe nostro eandem , qua fruitur , gloriam. Tanquam familiarem & collegam me poteris ad loquendum provocare. Quid dubitas ? nam consimile res omnis amat. Loquere , quod vis , & respondebo tibi jocundum , gratum sœpè habui eloquium tuum , & quare non vicem redderem ? etiam si ardua

ardua à magistro meo peteres, impetrares. Perterritus miser hujusmodi verbis sollicité cœpit inquirere, quæ vel qualis remuneratio illa esset, quam suis princeps ille tebrarum daret stipulatoribus? locum, inquit, accipient in regno principis nostri sublimem quisque pro merito. Et qualis est, inquit miles, vita illius præmii, quod magister tuus dat sibi faventibus? ibunt, inquit diabolus, de calore ignium in frigus nimum, de fœtore nimio vermium morsus incident, serpentum sibilos, & alterius generis non minora convivia, quibus tu nobiscum fruēris in magna potentia. Tunc Rudolphus mente consternatus subridens tamē propter adstantes ait: ò qualia sunt ista nostra præmia! verūtamen vñ matribus, quæ ad hujusmodi gaudia fœtus concipiunt. Et taetus dolore cordis intrinsecus perfusus lacrymis recessit. Timor enim gehennæ pungebat ī eum, sed spes, quam pœnitentibus audivit esse promissam, ex alio hunc latere non minimè confortabat; o Deum magnam & admirandam misericordiam, qui non solum pœnitentibus veniam promittit, verū etiam peccantes expectat, ut redeant. Nox enim nocti indicat scientiam, diabolus scilicet origo peccati huic peccatori divinæ fuit opus pietatis, quia per hanc fructum pullulavit incomparabilem amoris, huic gaudium in cælo, pax in hominibus sanæ mentis & bonæ voluntatis. Ubi nunc Leviathan, quem sic absorberas, quem tuum amicum jaestabas? nonne in tuis hunc faucibus habebas, ipse hunc de foramine tuæ extraxit maxillæ, qui se pretium pro ipso dedit in Cruce, benedictus Salomon? quo qui vertitur, altus habetur. Sic de Saulo Paulus, de telonario Evangelista Matthæus. Igitur his retræactis dum domum ire disposeret, relictis jam mente gregibus sodalium suorum, se ipsum sibimet cœpit præponere, qualis quantusque fuerit, in speculo interioris hominis videre, & appensa quasi in libra iniquitas quamvis super talentum plumbi gravis fuerit, huic tamen misericordia Domini & pietas præponderavit. Heu! heu! inquit secum, ut quid ad tantam sum animæ mee calumniam? nunquid titio inferni fumigans permanebo? num & draconis illius antiqui sibilos mortiferos excipiam? aut trecerberi morsum rabidissimum aut tentiani contum non evadam: hæc & hujusmodi animo pertractans præteriorum non oblitus in anteriora extensus lacrymis, cui infedit, equum ubertim perfudit. Mirabantur comites, quænam causa tantæ ac talis esset tristitia, quæ tam animosum in lacrymas compulit virum. Nec mirum, quia fortè non audierant ex Evangelica Domini sententia, quod fortiore veniente fortis, quæ in pace possederat, direpta sunt vasa, & omnia ipsius distributa sunt spolia. Domum ergò veniens convocatis fratribus & propriis posthabito convivio in lacrymas provocaret, ac demum abrenuncians omnibus, quæ posse dedit, voluptatibus terrenis nec non & semet ipsum abnegans Christum pro nobis egenum factum secutus est ipse egenus. Et ut liberius crucem bajularet post Christum, lorica, qua prius ad sui corporis usus fuit tutelam, nunc ad ipsius utitur pœnam: insuper septem ferreis se ipsum cinxit circulis, quibus lanea superinduebatur tunica. Quantus in vigiliis, quantus fuerit in jejuniis, nostri stili non eget officio. Ad impetrandam igitur Divinam misericordiam diversorum Sanctorum, ubicunque venire poterat, adiit limina, ipsorum precibus supplicissimis flagitans suffragia. Sicque indefessus septem annis corpus in servitatem redigens fessus membris spiritum roborat. Nōcē ergò quadam lassata membra dum sopori paululum indulisset, vidi visionem futrorum præfigam. Visum fuit ei sub habitu pastoris oves gregatim ad alveum lavandas deponere, quarum quædam non lotæ dum flumine essent unctæ, fuga evaserunt, quædam albato vellere suo sub pastu remanserunt. Non fuit hæc visio inanis, neque sine præfigio. Nam cùm quinque sint genera somniorum, sicut in Scipionis Africani per quemdam sapientem conjicitur somnio, istud neque illusorium quoniam verum, neque minatorium, quoniam non minas portabat, non præmeditorium sive imaginatorium, non illius generis, quod de crapula procedit, sed vera angelica fuit revelatione immisum, ut, dum, quæ viderat, effectui in futurum mandaret, Deum exinde in suis donis sublimius glorificaret. cùmque visionis hujus habitum sedulè secum pertractaret, neque ulla ipsius indagine perpendere potuisse, sancto cuidam viro hanc patefecit, qui in Spiritu Sancto hunc gaudere debere admonuit, pro eo, quod Cœnobium fundaturus esset, in quo pars per devia deflueret, pars cum Domino staret, hoc per oves fugitivas & albicas figurari. Ipsi tamen somnio animum nullatenus commodabat, attendens, quia ubi multa somnia ibi multa vanitas, præsertim cùm neque locum huic operi sciret idoneum, neque ipse haberet proprium.

Septem tunc annis in tam strenua vita peractis, octavo tandem anno diu desideratam Sancti Sepulchri adgrediens viam terram promissionis intravit, divinæ hoc miserationis opus intentans gratiarum actionem Largitori omnium retulit bonorum, qui in sanctissimam hanc, quam suis virtutibus decoraverat, civitatem perducere dignatus est. Circuli interim ferrei, quibus carnem suam dominæ menti subjugaverat, rubigine tabescientis carnis confracti resilierunt, Domino cum carne tunc remissius agente, quan-

Tom. VI, Collect. Monast.

F

do

do acutissimos tentationum aculeos non jam tyro sed miles emeritus superaverat. Et sicut consuetudinis est, ea, quæ cui labore sunt facta, gratius amplexari, die nocteque orationi incubuit lamentans super his, quos olim perpetraverat, excessibus. Non fuit Ecclesia in tota Jerosolyma, cujus limina fessis licet pedibus ad flagitanda suffragia terere attemptaverit. Cumque plumbum, æs, vel ferrum ædificio subtraxisset priori, cui non jam ligna, fœnum, stipulam, verum aurum & argentum & lapides pretiosos superædificari toto nisu elaboraret, Mandritam quemdam, qui carnem suam, ut tali dignus numeretur ædificio, benè decoxerat, benè dolaverat, intrà septa Cellulæ cujusdam strictissimæ reperit, cujus eloquii favum, ac si accipiter esuriens avim excipere gliscat, sic ille rapidissimo ad hunc cursu evolavit. Dominus autem reclusi quia nondum revelaverat auriculam, idè non, prout debuit, fraterna hunc charitate recepit. Sed vir perfectus à pseudoperegrinis ante in vestitu ovium visis illusus probare spiritum hujus, si ex Deo esset, coronam acciperet, si non, ignominiam. Ipse, qui sibi oculo circumspectionis providisset in melius. Sic etiam circumspectam decet esse vitam Sanctorum, illo namque appropiante Vir Dei fenestella cellulæ protinus claudere gestit, nullumque pulsanti curavit dare responsum. Peregrinus vero ille suis hoc attribuens antiquis malefactis perseveravit in pulsando illud inculcans: insto, sciens, Dominum cum peccatoribus esse locutum, eisque in convivio participatum. Sufficere debere discipulo, similem se esse Magistro. Motus inclusus interius aperta fenestella, ac benedictione præmissa, sic inquit: mandatum evangelicum est, ut clauso ostio oremus, nec laudem hominum requiramus. Et tu, siquidem Divinis intendis obviare mandatis, qui pallorem in facie ostendis, cruciatum in corpore, qui, fin ita reperitus fueris, cum fatuis virginibus à sponsi videlicet Christi nuptiali convivio excluderis; sed si aliquid à me vis extorquere, sciás, quia argentum & aurum non est mihi, immo qui in lorica illa ad ludificandas fortè hominum simplicium mentes superabundas, vende hanc & tam tuæ quam aliorum exinde subveni necessitati. Consternatus mente Rudolphus, non famem, inquit, à te quæro relevare ventris, sed noctem mentis, satis enim terrenis abundavi divitiis. Sed quoniam nimis his fui abusus, dignum judicavi, eo me habitu castigare, quo in Creatorem meum magis confuevi peccare. Ignoscere, inquit inclusus, mihi & frater, quod tam malè de te tensi, in tali namque sæpe delusi sumus habitu. Ignoscat ait ille peregrinus tibi & frater optimus Deus. Subjunxit ergo inclusus interrogans, ad quid venisti frater? at ille consultum inquit veni pro peccatis meis. Ipse vero respondit: diversa sunt animantia hujus procellosi maris pulla videlicet cum magnis, quibus draco ille antiquus factus est ad illudendum. Omnia tamen expectant, ut à Deo escam recipient, quale & tu factus magna ex parte videris. Sed non pigeat dicere, cujus conditionis & officii fueris. Conditione, inquit ille, Sanctæ Mariæ Dei genitricis fui cliens, officio miles, adinventione propria servus heu me peccati. Inclusus vero subinfert: & quid de substantia, quam reliquisti, aëtum est? reliqui hanc, ait, dilectis fratribus meis. At ille: nonne oportuit te Christum magis sibi instituere hæredem? crede mihi, oleum camino administrasti. Nam divitiis accrescentibus possidentium eas suffocatur animus. Tu vero, qui crucem post Christum bajolas, ut & alii tecum bajolarent, elaborare debueras. Sed qui jam rectas niteris facere vias tuas, in virtute Domini consulo tibi, ut limina post habita revisas Christum tibi, si fieri potest hæredem substituas, majoris enim est meriti apud Deum eleemosynam dare quam recipere, nisi fortè homo se ipsum & sua omnia Deo semel dedit. Sed iste non ex toto visus fuit liquisse, dum fratribus, quos ut se ipsum carnaliter amavit, ea, quæ cara possedit, donavit, peregrinus vero ait, assentior tuisque monitis divina favente gratiâ operam dabo. Tunc vale dicto duo illi caelestium bonorum indefessi peroratores ab invicem sunt separati, unus in dilecta sibi Cellula remansit, alter vero longo de postliminio patriam revisurus ad Bajas descendit, navim, si Deus vellet, versus Brundusium velificantem descendere. Parabatur interim navis omnibus bonis onusta pro voto. Quid faceret, qui nihil habuit, nisi ut spem posneret in Domino. Sedit ergo in littore, præstolans divinam misericordiam, asuetis intentus orationibus, nullusque die illo subvenit egenti. In crastinum vero turbarum fugiens tumultus securiori loco psalmodiam meditans cum sedisset, ex improviso quidam nutu ut creditur divino aureum huic nummum non rogatus obtulit, videtur tamen, quod Angelus Dei fuerit, qui egenti in tali necessitate occurrit. Hæc tua, inquit ille, hæc tua Deus dona sunt, qui das jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum te invocantibus, qui nullum in te confidentem tua fraudas bonitate. Procedens inde vidit peregrinum in paupere habitu sedentem, huic nummum ante receptum donans, Dominus, inquit, pascit me à juventute mea usque nunc, & imposterum nihil mihi deerit, ipse fecit terram, fundavit maria. Credo, quod Angelus, qui huic ad solamen nummum prius obtulit, mutato interim habitu hæc ab ipso recepit, immo ipse meli.

melius ut creditur Dominus. Quamdiu fecistis u... ex minimis meis , mihi fecistis.
Quis in tali unquam necessitate solum eum , quem h... uit , nummum daret ? ille inquam,
qui se ipsum penitus reliquit , & omnia quae haber... potuit , pro æterna vita vendidit.
Sed dic mihi ô homo transiturus mare , ubi nauilus accipies , in ista necessitate tribu-
tum minimum cur non reservasti ad nauum ? qui necessitatem proximi meam putavi.
Dominus autem in cujus manu corda sunt regi , ipse si vult , & nauum dabit &
pastum. Velificantes igitur prospero itinere veniunt Brundusium. Tunc assumptis
secum tribus boni testimonii viatoribus , quorum nomina sunt hæc Gerhardus , Ebe,
& Adelo , quorum animos idem fervor , si sic eis cederet , accenderat , ad fratres
peruenit , à quibus benignè receptus , & humanè prout decuit , cum suis conviatori-
bus tractatus suam eis ex consulo Sancti illius Viri innatam pandit voluntatem , simul
ipsorum cum lacrymis flagitans auxilium. Fratres vero germani sui tantam erga Deum
videntes diligentiam , & sua , quæ habuerat , remiserunt , & de suis auxilium spopon-
derunt. Ipse vero curtem solam ex omnibus quæ habuit in Curiensi ad sui non reti-
nuit effectum.

Sed quoniam de sylva illa mentionem fecimus , de situ loci & habitu libet ut
aliqua dicamus. Sylva Curiensi pago adiacens viam cum labore præbebat transeunti-
bus. Præter hoc enim quod ardua est ac difficilis propter opacæ frondium ac fruticum ,
latronum ibi fuit asilum , multi ibi jugulati , plures spoliati , omnium tempore rapi-
ne , ita ut paucorum , & illorum sine armis ibidem non posset esse transitus. Hic er-
gò Fr. Rudolphus cum suo illo caro fratrum habitare elegit Collegio , & sylvam me-
tere , decidere incipiens ac novare , domicilium sibi suisque pro' modico primitus con-
stituit : sicutque in dies ad ea , quæ cogitaverat , adimplenda præcingitur , cùmque in
decidendis arboribus indefessi durarent , auxilium sibi divinum frequenter aedesse fense-
runt. Nam igne stipitibus supposito relicta lignorum congerie dum recessissent , vide-
runt viros in vestitu candido ligna igni administrantes , quos tamen accelerato cursu quæ-
rentes nihil invenerunt. Quod dum crebrius fieret , ipsique quærentes nihil invene-
runt , virtutem senserunt esse Divinam. Verè , ut ait Propheta , Dominus in altis ha-
bitat , & humilia respicit in cælo & in terra. Post multas demum passiones , post fri-
gora nivium , quæ in loco abundant , post rerum penuriam , post infestationes dæ-
monum , Ecclesiam construxerunt , in qua rogatus Presbyter aliquis via illa jens Mis-
farum solemnia celebraret. Consecrata tandem Ecclesia in honorem Dei Genitricis Ma-
rie filii Belial , qui prius loco detraxerant , cùm sæculo vellent abrenunciare , illuc ma-
gna ex parte convolantes se ipsos & sua omnia , quæ habebant , dederunt. Rudolphus
ergò somnii , quod viderat , recordatus regularem inibi vitam instituere
gestiens. Heunonem quemdam regularis vitæ secundum Augustinum idone-
um loco præfecit , cui & se ipsum obedientiæ voto obligavit. Religione igitur in
loco vigente , quam hospitalitas permira decoravit Ecclesia S. Lucii , cùm divino peni-
tūs destituta esset officio , quoniam Monachi prius ibi commandentes ejecti sunt consilio
magnatum terræ ipsius de Conventu Churwaldensi in locum illum sunt substituti , qui
dignè Deo famularentur ac B. Lucio , nec non & paramenta & alia necessaria de novo
ibi sunt administrata Monasterio.

In temporalibus ergò loco illo Churwaldensi semper accrescente , cùm Regulares
ingrati ab Ordinis sui statu calcitrarent , Præmonstratensis vitæ Ordinem elegerunt ,
quem mira austерitate usque ad tempora nostra servare studuerunt. Heuno interim
Præpositus amoenitate loci penes S. Lucium , quod Churwaldensis illuc totaliter con-
flueret Conventus , elaborabat. Sed frustra : Beata namque Virgo precibus Rudolphi
exorata & locum illum augmentavit , & Præpositum illum sèpè memoratum ab utraque
Præpositura eliminavit , & ad locum , unde venerat , redire permisit.

Accidit autem , ut miles quidam Turingorum gente oriundus in obsidione Fride-
rici semper Augusti Imperatoris infirmatus , prout levius poterat , duceretur , quasi
domum de cognato sibi aëre melius habiturus , ad locum veniret , ubi multum de ardua
montium via dum vellet requiescere , ultimum emisit flatum ; ite vivens omnia , quæ
secum habuit loco contradidit , & post mortem in terram suam ituros quā plura de
suis sumere jussit. Sepulto ergò milite rogatu Fratrum Rudolphus ipsius Fundator Cœ-
nobii , quamvis seniō lassus , viam arripuit versus Turingiam , prout injunctum sibi
fuerat , venientes autem Elwangium nocte illa ibi manserunt. Ibi Rudolphus
febre tam acri correptus , quod nec progredi potuit , nec regredi domum. Tertia de-
mum die in sancta confessione permanens , communicans Carni & Sanguini , suāque
Sanctæ Dei Genitrici commisit animam. Erat tunc temporis maxima ibi populi fre-
quentia , Conventus Abbatum , & Cleri magna pars , qui venerant festivitatis gratia
mutante. Hi omnes cum Abate Clivangensi exequiis tanti Viri interfuerunt , cor-
pusque in maxima reverentia tumulaverunt. Fama malum , quo non aliud
F 2 vel.

velocius ullum mobilitate viget, ad nostrum ubi devenit Cœnobium, maximus ibi luctus pro defuncto Fratre, sed non minor pro eo, quod ibi non debuit tumulari, prout ipse oraverat, est exortus. Nono ergò jam expleto anno post tanti Viri mortem Henricus quidam & moribus honestus, & vitâ compositus, motus frequenti fratum querimonia ad suprà memoratum, ubi sepultus fuerat, venit Monasterium, ibique memorati Rudolphi offa difficile impetrata sumens reportavit ad locum, quem sibi ipse, dum viveret, ad expectandum districti examen judicij elegerat. Sepultus est ergò in Ecclesia, ubi divina semper resonant officia, in gloria stolam secundam recepturus à Domino, qui vivit & regnat in sâcula. Amen. Precor itaque ego Conradus peccator, qui hunc libellum apud S Gallum transtuli in latinum, ne me insciæ arguatis, & si in aliquibus deliqui, legendo corrigatis. Explicit de fundatione Churwaldensis Ecclesiæ libellus.

§. II.

Reflexiones criticae.

Laudamus Conradi studium, quo primævam Abbatiae olim famigeratissimæ originem, & Fundatoris vitam Idiomate latino nobis communicavit. Dolemus autem, opus prodidisse mutulum & valde obscurum, quamquam hoc nequaquam imputemus Conrado, cuius, quia solum ex germano in latinum idioma transtulit historiam, non fuit, discernere, an originale germanicum non deviet à tramite veritatis. Hoc proin, non Conradum, punget ferula nostræ crisis. Et quidem oculus paulò sagacior labore nullo deprehendet, quædam suppressa, alia veritati minus coherentia esse expressa. Perstrin gamus singula. Primo fundationis annum supprimit, & Churwaldiam putat Cœnobio Sancti Lucensi fuisse tempore priorem, dum afferit ejectis de S. Lucio Monachis, quosdam de Churwaldensi Ecclesia ad Monasterium hoc emissos esse. Fatemur ipsimet, neque nos divinare, sed solum augurari posse, quo demum anno hac Roggenburgi filia primam aspicerit lucem. Scriptor quidam anonymous natam existimat anno Millesimo, centesimo, sexagesimo septimo. Sed bonus iste vir toto exerrat zodiaco. Quomodo enim, amabo, nascituræ proli Conradus Episcopus Curiensis obstetricantem manum applicare potuit anno præfato, cùm tamen sit extrâ controversiam, Præsulem hunc plentissimum unum ex præcipuis Churwaldiæ benefactoribus obiisse anno 1150? certum igitur judicamus, ante annum quinquagesimum vel certe hoc ipso tempore Churwaldiam surrexisse. Priorem verò Sancti Lucensi Asceterio fuisse, nullo prorsus stabilitur sufficienti fundamento. Etenim si primos Sancto Lucio, expulsis Monachis, inquilinos dedit Churwaldia, juxta tenorem Statutorum nostrorum jus Paternitatis Abbatii Churwaldensi, non Roggenburgensi competit in Ecclesiam Sancti Lucensem. Sed nullum omnino legimus Churwaldensem Præsulem, qui se Patrem. Abbatem vel dixerit, vel scriperit, & jus istud hactenus inconcussum semper mansit Roggenburgo. Accedit, etiam juxta hunc Fundationis libellum Churwaldiæ primum Praepositum fuisse Haymonem, sive Aimonem vel Heumonem, eadem, qua Sancti Lucenses, manu moderatum fasces Churwaldenses. Hic ergò ad Caput immediatè præcedens appellamus, ubi Haymonem viâ rectâ cum Prioris nomine ad S. Lucium comitati sumus. Ex his secundò liquet, inconvenienter dixisse ignotum fundationis libellum, quod Canonici Regulares primi occupaverint, & illis à Regula deficientibus libellus repudii datus, abeundi licentia facta fueroit. Vel enim Canonicis istis stabilis antea habitatio fuit alibi, vel non? secundum nemo dixerit: primum si defendis, legitimè inferimus, sine capite & Duce Churwaldiam non appulisse; nullus enim Prælatorum acephalos patitur esse suos filios; consequenter malè ponitur, Haymonem nostrum Churwaldensis Ecclesiæ primum fuisse Praepositum. Quia tamen & fundationis libellus, & Domestici Annales nostri hunc titulum honoris tribuunt Haymoni, bene dicimus, Præmonstratibus, non Canonicis Regularibus alterius Instituti præfuisse, ut bifrontem fingere non cogamur, qui Præmonstratensem in hoc, in loco alio alium Canonicum egerit.

De ipso demum Haymone quid ultimatè statuamus, ambigimus. Et Prioris munere ad S. Lucium, & Praepositi honore apud Churwaldenses privatum esse, commemo rat versio Conradi, addens, ad locum, unde venerat, redire permisum. Ex quibus probabilius inferimus, privatam postea vitam, & denique animam egisse Roggenburgi.

Reliqua Churwaldiæ fata, horrida fata suis in Historia nostra locis Lector audi et, & auris utraque non raro tinniet, si, quæ proterva audeant dissidia religionis audiatur. Nos ad lætiora.

Caput VI.

CAPUT VI.

Bertholdus Præpositus II.

§. I.

Mors Gerungi & electio Bertholdi.

Jam quartus suprà quadragesimum currebat annus, quo Gerungus ad Clavum Roggenburgensis Ecclesie sedebat. Fortunam, si quæ foret, clavō fixisse diceremus, adeò fortunatè nunquam non præsedit. Soli defluebant dies & anni, cætera omnia affluabant. Nulos pruina nequitiae decoxerat flores; novos identidem & hic & alibi germinare vidit hortulanus sedulus, in id unum unicè intentus, ut primævus Ordinis vigor sub Præposito sene nunquam senesceret, ætatem nihilominus ferret. Non moriturum optabant filii, quem natura parens mortalem genuit, facta immortalis memoræ virum fecerunt. Sed multa crinum canities calvam à tergo mortem hærere admonuit, & plurimus annorum numerus annos aëternos in mente habere jussit. Quamquam monitore non eguit, qui soli aëternitati vixit, & nunquam non sollicitus vigilavit, ut feliciter obdormiret, neque mors laneo furis pede irrepens opprimeret non paratum. Venientem in tertia noctis vigilia (senectutem bonam intelligimus) intrepidus exceptit, & tandem anno Domini Millelmo, centesimo septuagesimo, postquam fortis in bello miles sat diu steterat, gladio mortis confossus cecidit, gloriösè resurrecturus in communi anastasi, & futurus ad arcem Sionæam suorum Dux, quorum in Roggenburgensi Pater fuerat. Talis tantique Viri sepulchrale saxum, ne conjecturaliter quidem, nunquam innotuit, ut propterea non levi censurâ digni forent Majores nostri, ni gravis pietas excusaret, quæ maluit Patrem integerrimum in grato pectore semper perennare integrum, quām solo nomine in falso temporum injuria mutilando ad brevē duntaxat spatum vivere.

Justis funebribus Gerungi ritè persolutis, Sponsa vidua tristitiae velum deponebat, & serenata fronte novas accendere tædas Hymenæi concupivit. Sponsum suis amplexibus dignum reperit in Berchtoldo, quem Fratres electione Canonica Gerungo susserunt, virum tanto honori & oneri minimè insufficientem. Lucis usuram Berchtoldo Eßlinga, nobis de vita Berchtoldi avara nimium antiquitas vix minimum dedit. Virum eximiè probum, & in temporalium administratione verè eximium fuisse, colligimus ex iis, quæ legimus in Adelberga Restituta, in qua Reverendissimus Author Fidericus Rommelius, immortale orbis litterati & Canoniae nostræ decus, Fratres Roggenburgenses Divini amoris fervore, & bona Conversationis odore ubique divulgatos commemorat, encomio in Caput utique præprimis redundantem, cùm Regis ad exemplum totus componatur orbis. Certè prudentum nemo crediderit, ad prima subsellia Berchtoldum ascendisse aliâ quām æquitatis & Justitiae viâ, quæ cæca cùm sit, non respicit personam, sed merita virtutemque in bilance examinat. Quid multa? Berchtoldi prudentiam in agendo, & Zelum in promovenda Dei gloria, cætera si taceant, multi deprædicant Oratores, ligna nimirum & lapides Monasterii Adelbergensis in Ducatu Würtembergico, qui sub Berchtoldo nostro sic in unum coaluere, ut tandem ibi in vinculo pacis & unitatis stabilem figere sedem potuerint Canonici Roggenburgenses, ubi vel non poterant, vel nolebant diutiū stare alii. Rem totam ab ovo ad malum usque enarrare incipimus.

§. II.

Origo Monasterii Adelbergensis.

Adelberga illustri in Würtembergico Ducatu Præmonstratenfis Instituti Cœnobium, inter Hohenstauffen & Schorndorfium singulis milliaribus situm, nomen habet ab ipso monte Adelberg, cui incumbit. Falluntur proin, qui dictam existimant Adelbergam, velut nobilem aut Nobilium montem, quasi solis quondam nobili stirpe natis Præmonstratenibus cultum. Etenim clarè constat, montem illum Eberspergensis è regione vicinum ab aquila dictum esse Adelberg, antequam de construendo ibi Monasterio aliquis hominum cogitaverit. In umbilico autem montis Eberspergensis visebatut arx Ebersperg, tunc sedes Voicknandi de Stauffen, qui cùm arcem illam, cujus hodie duntaxat rudera & fossæ in Silva Adelbergæ proxima, qua Bergeimium tenditur, super-

Zom. VI. Collect. Monast.

G

funt,

sunt, item Eberspacum infrà Göppingam incoleret, nunc Baro de Ebersperg, nunc de Ebersbach, Friderico autem Imperatori perpetuò Dominus de Stauffen dicebatur.

Natus erat Volcknandus ex Patre (nomen nullibi invenimus) ob pietatem & prudenteriam Friderico I. Romanorum Imperatori in primis accepto, à quo etiam equestri dignitate condecoratus est.

Patris haud degener filius Volcknandus pueritiae suæ rudimenta optimè locavit, in rebus fidei ac primis pietatis genuinæ elementis minimè rudis. Adolescens nobilium more varias visit invisitque regiones, sed præter morem aliorum, qui mores plerumque deteriores referunt, idem, qui abiit, ad lares proprios rediit Volcknandus, nempe verus germanæ probitatis Israëlista. Domum redux, Sueviæ Ducum, penes quos tunc orbis imperium erat, aulam frequentavit, & probatâ proceribus industria, brevi equestribus honoribus auctus est. Friderico, quem barba rubea Ænobarbum in Historiis rubricitat, inter primos charissimûs, & à consiliis intimis, tum sibi ipsi Consiliarius optimus fuit, quando, ut animæ suæ meliorem in modum consuleret, sua pleraque vel omnia Deo devovere consultissimum duxit. Posteaquam enim matrimoniale jugum ad annum usque sexagesimum ætatis suæ cum Conjuge ejusdem secum nobilitatis duxerat, & prolem, quæ tolleret jugum post se, superstitem non videbat (aut enim omnino nullam concederat Deus, aut, quam dedit, maturè sed cælo maturam abstulit) honorum hæredem Deum ipsum scribere cogitavit. Quoniam verò bona sua majori ex parte feudi nomine à Sueviæ Ducibus possidebat, ne res, quam Dominantium Domino transcribere moliebatur, post mortem suam clamaret ad Dominos directos, petitionem suam ad Fridericum, è Sueviæ Duce Imperatorem, & Stauffensem Sanguine oriundum, pro consensu ad opus adeò piuum impetrando direxit, quem in vota sua faciliorem habuit, quia cæteris fideliorum eidem semper sese præstítit. Primo tentamini tam feliciter cedenti non nisi secundos ominabatur successus. Sed non unum Sisyphi faxum movere debuit, qui suprà montem arenosum construere fabricam intendebat.

Vocaverat Volcknandus quosdam leucophæi coloris habitu incedentes Monachos: Eremitas si dicere mavis, nostrâ parum interest; neque enim, cuius Ordinis fuerint, divinare possumus, cùm Otto Frisingensis celeberrimus ævi illius Scriptor ariolandi partes hac in parte detrectet) eisque montem Adelberg cum omnibus attinentiis addixerat, ut Ecclesiam, in qua laudes perpetuas dicerent æterno Numini, ibi construerent. Verum vix mora annorum aliquot abiit, Monachi in loco tam inculto incolatum aversati, fundatori & primas gratias & vale ultimum dicentes recesserunt. Monachis grysei coloris ita dilapsis nec furore excanduit, nec pavore expalluit Volcknandus, omnem spem suam unicè in Deo reponens, firmiterque sibi persuadens, fore, ut inveniret, quibus in monte suo Adelbergensi stabiliter servire placeret Domino, cui in montibus nunquam non beneplacitum erat. Oculos igitur & manus extendit ad Monasterium Rothense, cuius Religiosi Præmonstratenses mira sanctitate ac Religione oculos & animos totius Sueviæ in se rapuerunt. Otthino illis præerat, quem, licet Dapifer ipse fuerit, utpote ex Comitibus de Waldburg natus, zelus domus & gloriae Dei totum comederat. Ultrà ducentos, si numerum, non nisi unum, si unitatem animorum attendas, sub signis numerabat fratres, signatae virtutis Præful. Hic & locum & oblationem à Volcknando reverenter factam grataanter suscipiens, coloniam de Monasterio suo emisit, quæ curaret Adelbergam. Verum & isti manum subduxerunt aratro, videntes, Fundatorem metere velle, ubi nec arare licebat: nempe nomen Advocati & Jus Patronatus sibi reservaverat Volcknandus, minimè attendens, quām sit indecens, eos, qui liberrimam servitutem serviunt Deo, tributarios esse homini. Hic demum, ubi spem omnem felicioris successus abjecisset quivis alias, fortius sperare cœpit Volcknandus, Deum, qui spirat, ubi & quando vult, suis aspiraturum cœptis. Noverat puto, quantæ molis fuerit Romanam condere gentem, à Deo Adelbergæ destinatam & electam.

Elegerat autem Deus ter Optimus Maximus & præelegerat Roggenburgum, ut fœcunda mater esset filiorum in Adelberg. Quandoquidem ergò fixum ratumque manebat Volcknando, vel proprio, si opus, sanguine rigare lapidem, qui futurus esset ædium sacrarum angularis, Roggenburgensem pulsavit ostia, & Bertholdo Præposito suæ voluntatis propositum aperuit, instanter flagitans, ne petitis justissimis aurem utramque clauderet. Re ad maturæ deliberationis trutinam appensâ in vota Volcknandi concessit Roggenburgum, & devotæ plebis manipulum cessit Adelbergæ. Spem suam haud amplius claudicare posse, ex Virorum rectitudine metiebatur. Volcknandus, & tamen parùm abfuit, quin ad scopulos allisa omnino crus fregerit, esto, ad Berchtoldi petitionem liberrimè consenserit, ut Adelberga cum omnibus suis appendiciis, mandi cipis,

cipiis, possessionibus, jam habitis, & in futurum acquirendis perpetua libertate donetur, & quæcunque Ecclesiastica Laicalisve persona, Prælatus vel subditus, ipsius Ecclesiæ res, vel possessiones alicui, Advocati nomine, obligare præsumeret, honore, si quem habuerit, privetur, & à communione Ecclesiæ fratrūmque perpetuū separatur, factumque cassum ac irritum habeatur. Atque ut cessio taliter facta absque roboris pondere haud esset, voluit illam Berchtoldus judicio Regum & Pontificum roborari. Insedit tempore illo Romanæ Petri Cathedræ Alexander III fortissimus ille Cæsaris Barbarossæ mastyx, qui, cùm audiret locupletari Ecclesiam ultra montes, quam venenata Arnaldi Bresciani genimina intrà alpes Latii usque ad ossa interiora denudare quærebant, exultavit præ gaudio, & sua mox autoritate interposita, datisque codicillis, quidquid Berchtoldum inter & Volcknandum tractatum fuerat, gratum habuit, ratum voluit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo septuagesimo octavo Canonicis Adelbergam destinatis Ulricus sive Udalricus Præpositus datur, qui videns locum, omni penitus solatio destitutum, magni licet animi vir animo destitui, tœdere, pavere, & super nimia Fratrum paupertate mæstus esse, redditumque cogitare cœpit. Adeo nimirum vel fortis etiam magnanimosque viros non nunquam eminùs visa exanimat squallida difficultatis umbra. Igitur satiùs fore judicans, oneri nunquam humeros supponere, quām fracta tot inter spinas spinā dorsi succumbere, clam Fratribus suis Roggenburgum tendit, ad animæ suæ nimis afflictæ solatium à sancta quadam Virgine exploraturus, quid de novella plantatione in Adelberg disposuerit providentissimus Deus. Virgo illa, quo mente magis libera ad augusta Cælorum atria exspatiari valeret, angustissimæ Cellulæ inclusa vivebat Meshovii, pago vix dimidiæ horæ passibus à Roggenburgo distante. Melior illâ, quam reprobis Saul consulebat, pythonissa cùm fuerit, quippe ob insignia virtutum merita Spiritu futurorum præsago plena, Annam dicemus prophetissam, nisi Majores nostri Gertrudem vocassent. Huic postquam Ulricus & viæ causam & Fratrum necessitatem exposuisset, matris illam nomine compellans ait: Ora mater pro filio tuo, si fortè Deus precibus tuis exoratus dignetur nobis aliquo futurorum præsagio demonstrare, quem finem plantatio novella, ad quam missi sumus, sit habitura. Cui Gertrudis: Fili! hac nocte in pace quiesce, teque & omnes actus tuos Domino commendare stude, & quæ mihi Dominus de te per Spiritum suum dignabitur revelare, ea cras, si quæquieris, parata ero tibi renuntiare. Vix cælo diluculante adest Ulricus, quem ut illa conspexit, benignè salutavit, atque in hunc modum illi est locuta. Fili charissime! fidei pusillæ quare dubitasti? hæc enim dicit Dominus: confortare, & viriliter age, esto Dominus Fratrum tuorum: dabit itaque Deus tibi de rore cæli & de pinguedine terræ abundantiam: insuper in cunctis prosperaberis, ad quæ manum miseris, & in hac mortali vita laudabilis valde & glorirosus eris. Quia verò nullum malum erit impunitum, propter peccatum diffidentiae, quod commisisti, quando Deus te elegit in Sortem ministerii sui, & penuriam non sustinens, fugam injisti, nec sperasti in divitiis largitatis Dei, idcirco extrema gaudii luctus occupabit, & antequam viam universæ carnis ingredieris, scandalizaberis non sine infamia Ecclesiæ, cui præseris gloria & honore.

Hoc Gertrudis oraculo Ulricus animæquior factus, omnem penitus metumexulare jussit, & ad suos Adelbergam reversus, manum confortatam admovere operi, ac primò quidem erudere vallem, Adelbergensem inter & Eberspergensem montes medium, quo firmiora Ecclesiæ possit ponere fundamenta. Verum novo hic iterum prodigo monitus, non in valle, sed suprà montem fundare domum Domini jubet. Adest namque grandævus Senecio, multâ venerabilis barbâ, togâ longiori vestibus, & Zona pellicea circâ lumbos ejus, qui Religiosas operas in montem educit, & locum construendo Asceterio demonstrat. S. Andream Apostolum Domini fuisse, tradunt antiquiores Roggenburgenses & Adelbergenses picturæ, inter præcipuos nostri ordinis Patronos honoratum, & olim octiduano Officio tam in quām extrâ Adventus tempora cultum, quatenus, ut antiqua Breviaria & Ordinarius Præmonstratensis (ita vocatur Liber Cæremoniarum) loquebantur, universus Ordo candidus ejus patrocinia sine intermissione recolens perpetuam defensionem sentiret. Qua etiam de causa tam Roggenburgum quām Adelberga devotionis & gratitudinis suæ testes peculiares erexit aras, D. Andreæ honoribus consecratas. Ad hujus igitur Apostoli vocem non nisi spiritus altos concepit Ulricus, & habitaturus in adjutorio Altissimi, habitacula Servorum Dei in alto montis Adelbergensis cacumine ædificare cœpit.

§. III.

De Scholis Adelbergensibus.

Nihil equidem ardentius in votis habebat devotissimus Ulricus, quam domum devo-
tione publice destinatam ad fastigium brevi deducere; sed decumanos res ista exi-
gebat labores, & pauperies magna, qua laborabat, majores peperit curas, adeò ut non
nisi post annos complures Ecclesiæ navim portui ter optato applicare potuerit, licet in
remigando omnes intenderit nervos, sed frustra, quia scilicet defecit nervus aureus.
Interim vero ne, dum operarii instabant operi, Fratres sui federent otiosi, ad lucer-
nam Aristophanis operari voluit. Scholas igitur erudiendæ juventuti aperuit, ut fores
omnes turpissimo inficiæ monstro præcluderet, atque Reipublicæ res firmiori starent
pede, si Principes philosopharentur, & Philosophi dominarentur. Nec solùm de plebe
triviali pueris hæc Palladis togatae atria sunt trita, verum & purpureum primæ nobilita-
tis sagum Musarum Adelbergensium gynecæo commisit surculos, ut in viros excresce-
rent orbi Teutonico utilissimos. Quin Fridericus ipse Imperator maximus Philippum
Filium suum natu minimum (qui postea & ipse variâ licet fortunâ imperium tenuit) ad-
junctis ipsi tribus nobilissimis ephesis Adelbergensibus erudiendum tradidit. Sic enim
verò Adelberga ephesos nondum egressa caput efferre poterat; sed juventus nobilis
supercilium ponere needum didicerat. Rudolphus Magister optimus erudiendæ prærerat,
qui, quoniam ad ultimum usque apicem disciplinæ oculatior erat, iniquo à discipulis
oculo notabatur, donec occasio ferret, tetricum, ut quidem putabant, Catonem inter
opaca nemorum armata manu aggrediendi. Cum igitur Rudolphus animum curis scho-
laisticis gravem condensas inter arbores in Tobelwilen exonerare vellat, irruit super eum
scelerata pubes, pædagogum nil tale opinantem prosternit, accepta verbera reduplicat,
& tandem Argum suum exoculat, manu quidem ingrata, sed grato obsequio, quod fe-
cit, ut hominum ingratissimos non viderit Rudolphus. Fugâ sibi post facinus tam atrox
consulentes, manu ferulæ subtractâ, utroque pede in casses inciderunt. Fridericus
enim Imperator deprehensos è fuga retraxit, tetterimo carceri mancipavit, & livida
fame scelus eluere coegerit, è carcere tandem ad multorum preces liberos dimisit, Aulæ
tamen Cæsarea ut vel semel amplius pedem inferrent, nunquam permisit. Cassianum
proin aut Joannem Scotum in Rudolphi vidit Würtembergia; nos verò protervæ ju-
ventutis, in Magistrum suum adeò crudeliter acuminosæ, tergo illud Raderi in sua Ba-
varia Sancta Vol. 3. notatum & notum Epigramma appendimus, ut tali saltē stilo sig-
natam cavere, & similem turpissimæ ingratitudinis notam præcavere discat juventus
nostra.

Hoccine Doctori pubes scelerata minerval
Offers, ipsa tuis exoculanda stilos.
Naturæ mystes, quem clara Stagyra creavit
Hoc olim sacro fudit ab ore melos:
Dignas cælitibus, genitoribus, atque Magistris
Pro meritis grates reddere nemo potest.
Et tu pro cultu mentis, damnata juventus,
Hoc pretium solvis? perge, feri, atque peri.

Tales porrò tantosque viros ad immortalem Roggenburgi Matris suæ gloriam Adel-
berga genuit, ut lauri penè defecerint, quibus eorum tempora omni tempore coronaret
Apollo. Agmen dicit, qui primò jugum, postea servos Domini duxit, Leonardus
Dyrius Abbas Adelbergensis, & Circariæ Suevicæ Visitator, quem ex ungue cognoscet
fuisse Leonem magnum, si, quas Decretorum Doctor eruditissimo calamo conscripsit,
varias evolvas lucubrations, publica luce dignissimas. Sequitur Leonardum Guiliel-
mus Ulinus, Sacré Linguæ in Tübingeri & Ingolstadiensi Universitate Professor, uni-
versorum linguis vel ideò celebrandus, quod Academicos Anglipolitanos graffante lue-
fævissima anno MœXL factos elingues variis denuo linguis loqui docuerit, à scriptis edi-
tis orbi litterato notus.

§. IV.
Ecclesiæ dedicatio, & mors Fundatoris.

Quam propensum in Adelbergenses animum foverit Fridericus Imperator, vel ex eo
colliges, quod Advocatiam Adelbergæ tanti fecerit, ut, ne alius quam de familia Do-
minorum à Stauffen Protector esset, peculiari diplomate sanciverit, atque defuncto sine
liberis Volcknando Jus tutelæ in se ipsum suscepere. Interim Cœnobio tantis tutelæ
præ-

præsidiis munito, animum adjecit Ulricus Præpositus, ut templi mole vix de fundam entis emergente, ara princeps divino cultui quotidiè frequentando destinaretur. Accedit tum fortè, ut Fridericus tribus filiis suis, regia: juventutis principibus, aliisque sacris juxta & profanis proceribus comitatus, voti solvendi causâ Adelbergam accederet; quam quidem occasionem Udalricus nequaquam prætereundam ratus, Burckardum Monasteriem Episcopum, Imperatoris comitem, supplex adiit, atque, ut aram illam inungeret, facilem impetravit. Eodem die nuptias Adelberga vidit, quales antea orbis terraqueus nullas. Sponsus erat Christus, Sponsa puellarum lectionarum virginitas, quam Angelis paronymphis, testibus Majestate Cæsarea & primis Imperii Proceribus, Assistente ac Volum Castitatis benedicente Burckardo Episcopo, illibatè servandam Domino Deo censcaverunt.

Post discessum Imperatoris lento pede, & manu paupere, ad altiora tendebat Ecclesia. Quare Volcknandus anterioris moræ impatiens iteratò Sueviæ Duces accessit, rogaturus, darent opem & operam, ut opus, quod ipsorum potissimum opera cæptum esset, brachio & manu breviori consummaretur. Piam Fundatoris petitionem nihil morati Duces, longas & largas sibi manus esse, primò verbis, post opere demonstrârunt. Dicis ad exemplum se movere cæpit cum plebe Nobilium turma. Hos inter loco non ultimo numerandus adest Guelpho VI Bavariæ Dux, largus & liberalis dictus, qui non solum Adelbergæ prædium suum Odenwald cum universis agris, pratis, & reliquis pertinentiis cessit, sed plenissimam quoque subditis suis facultatem concessit, ut, quæcunque seu pietatis titulo, seu venditionis contractu Adelbergenibus conferre vellent, perpetuam roboris firmatatem haberent.

Nimirum hæc & plura merebatur Ulricus Præpositus, qui, licet Amphion haud fuerit, ut dulcè sonantibus Cytharæ chordis faxa in murum cogere potuisset, corda tam hominum in sui amorem rapuit. Erat enim, ut loquitur Codex Adelbergensis, multis à Deo gratiæ donis repletus, litterali scientia apprimè eruditus, morum honestate præclarus, iucunditatis & largitatis munere glriosus, & omnibus affabilis: unde tam noti quām ignoti, ad quos fama probitatis ejus evolârat, dispersis rerum stipendiis & muneribus largis eleemosynæ, prout Dominus cuique inspiraverat, manum ejus adjuvabant in fabrica murorum & lignorum non solum ipsius Oratori, verùm etiam adjacenteris ejus Claustris.

Subsidiariam quoque manum merebatur exemplaris Religiosorum conversatio, de quibus idem Codex: Crescente, inquit, structurâ ædificiorum, crevit numerus quoque Canonicorum, Conversorum, Laicorum atque Sororum, quibus erat anima una & cor unum in Deo, quorum fervore dilectionis, & gratiâ hospitalitatis provocati vicini eorum & cognati, terrigenæque ipsorum, nec non & alienigenæ, subsidia ipsis innumera præstiterunt, & non solum ipsis, verùm & posteris ibidem Deo in perpetuum servituri: insuper & Nobiles Provinciæ, relictis sepulchris Patrum suorum, ad Ecclesiam in Adelberg se vel vivos vel defunctos transferri volebant, ibique sepulturam eligebant propter insignem Religionis evidentiam, & orationum frequentiam: sicque factum est, Deo annuente, ut, cujus initia erant parva, per tria annorum lustra incrementa nancisceretur majora. Si calculos ritè duco, annus tum fluebat 1193; cùm enim Ulricus anno 1178. de terra sua Roggenburgensi exierit, benè tria lustra numeramus ad annum 1193. illo jam tempore consecratam esse Ecclesiam, asserere non ausim: Namque in Annalibus Sacri Ordinis nostri lego, regnante Philippo Friderici filio ad laudem Dei & Domini nostri Jesu Christi, in honorem Beatissimæ semper Virginis & Genitricis Dei Mariæ, S. Udalrici Confessoris atque Pontificis, & omnium Sanctorum ab Episcopo Beryensi inauguratam esse. Quod si veritati cohæreat, certum arbitror, ante annum Christi 1196. haud fuisse inunctam.

Atque hinc est, ut credere nequaquam possimus, vivum huic solennitati Fundatorem interfuisse, nisi nonagenarium aut omnino majorem dicere velis. Anno igitur nobis ignoto Volcknandus diebus & meritis plenus, relictò Filiis suis spiritualibus amplò patrimonio, ad Patres abiit, à Patre luminum recepturus mercedem opimam pro eo, quod in domo sua novas exurgere fecerit stellas, in plura saecula multò fulgore scintillantes. Parenti optimo parentantes filii gratissimi, more Nobilium, tumulum erexerunt, gentilitiis insignibus micantem, scilicet Verre in campo rubro, verris pedibus cœruleo tereti insistentibus.

§. V.

*Mors Berchtoldi Præpositi Roggenburgensis, & Vigiliū
Præpositi Sancti-Lucensis,*

Roggenburgi quoque mors falcem immisit messi, & aristam cœlo maturam demessuit, Patrem scilicet amantissimum, Berchtoldum Præpositum, qui communī mortalibus fato cessit anno salutis 1207^{mo} vel 1208, ad gloriam abiturus æternam, postquam non inglorius annis circiter triginta & octo Roggenburgo præfuit.

Eodem anno 1208. Patrem morte vel præcessit vel secutus est filius, Vigilius Præpositus Sancti-Lucensis, qui per annos quinquaginta tres Monasterio sibi concredito tantâ curâ & sollicitudine invigilavit, tot probitatis & sanctimoniacæ radiis præluxit, ut illum Adrianus Papa IV. Exemptionis & Confirmationis Privilegio, S. Algottus Episcopus Curiensis dono Hospitalis in Civitate sua, & decimarum in Ranckwill, Rudgerus de Limpach Parochiæ Beneduranae (Benderen) munifica largitione condecorârint. Idem Adrianus P. M. Patrem-Abbatem constituit super Parthenonem in Cazzis, ita ut Sanctimoniales illæ soli Præposito vel Abbatii Sancti-Lucensi quoad spiritualia subiectæ, & Magistrum ab eodem constitutam recipere fuerint obligatæ. Quo singulari Privilegio Abbes S. Lucii gaudebant, donec hæreticus turbo & proprio domicilio excedere, & titulum adeò gloriosum cedere coëgit. Denique Henricus VI. Romanorum Imperator Vigilio omnes donationes, Jura, & Privilegia Cœnobii sui clementissimè confirmavit. Vigilio successit Conradus.

Quoniam verò Canonici Sancti-Lucenses hodiernis temporibus vix non de foliis redditibus Paræcia Beneduranae sustentantur, qua occasione Monasterio incorporata fuerit, ex fastis Sancti-Lucensibus hic juvat recensere. Rudgerus de Limpach, Nobilissimus Allemanniæ miles, & legitimus honorum immobilium ac juriam in Benderen Possessor, filium habebat non nisi unicum, quem in primo ætatis vere æstivæ messis tempore mors intempestiva rapuit. Cum enim puerulus, nemine id suspicante, congregatis in agro manipulis adjacens, somno oppimeretur, multiplicata identidem manipulorum congerie sepultus moritur. Mæstissimus de jaftura filioli pater votum vovet Domino, se bona sua omnia & Parochiam Beneduranaam Sancto consecraturum, in cuius festiva luce filius reperiaretur. Et ecce! in ipso S. Lucii Feste dum puerulus invenitur, Rudgerus voti sui nec immemor nec pœnitens Bona sua in Benderen possessa Monasterio S. Lucii fideliter cedit. Sita est Benedura in Territorio Austriaco non procul à Veldkirch.

§. VI.

Annotationes.

Alexander III, qui novellam Adelbergæ plantationem confirmavit, in Pontificatu succedit Adriano IV. patriâ Senensis, filius Rolandi Raynucci, & ipse Rolandus vocabatur. Primò Canonicus in urbe Pisarum, dein Cardinalis & Cancellerius Ecclesiæ Romanæ, tandem 5. Septembris anno 1159. in Pontificem electus, sub triplici corona innumeras esse spinas, per annos viginti duos sensit. Impugnatus à tribus Pseudo-Papis, præpotente Anglorum Rege, & superbo Romanorum Imperatore, victor omnium fuit, verè Alexander Magno Major. Nam Octavianus Monticelli, Nobilis Romanus, Cardinalis magnæ authoritatis, & primus ex Pseudo-Papis sub nomine Victoris V. post quinquennium mala & rabida morte absque ullo pœnitentiæ signo interiit Lucæ, quadam Italiæ urbe. Guido Cardinalis Cremonensis Pseudo-Papa secundus, Paschalis III. dictus, carcinomate percussus, itidem post annos quinque occubuit. Joannes denique à Monasterio, cuius Abbas fuerat, Stremensis cognominatus, tertius ex Pseudo-Papis sub nomine Callisti III., Friderico Imperatore ad meliora redeunte, resipuit, atque Alexandro habitum pœnitentis indutus se submisit, à quo paternè receptus, Ecclesiæ Beneventanæ Episcopus præficitur. Henricum II, Angliæ Regem quod attinet, S. Thomam Episcopum Cantuariensem occidi vel jussit, vel dolo inductus permisit. Sed Apostolico fulmine prostratus, exaltatum in aris Thomam coluit, & publicâ pœnitentiâ scandalum datum fustulit. De Friderico denique mox dicemus. Sic hostibus debellatis triumphans Cœlesti Capitolium ascendit Alexander, mortuus 27. Augusti 1181.

Fridericus, à Latinis Oenobarbus, ab Italib Barbarossa dictus, post Conradum III. Imperii fasces obtinuit. Annis omnino septemdecim suprà modum persecutus Ecclesiam, Schismatis fautor & promotor primarius, tandem supercilium posuit Venetiis, ubi in Alexan-

Alexandro vicario Christum Ecclesiae Caput adoravit. Exinde verus obedientia filius erga Matrem Ecclesiam, hujus egregie, postremis saltet annis, defendit partes. Nam accepta de manu Henrici Albanensis Episcopi & S. R. E. Cardinalis Cruce in Ciliciam progressus, insignes progressus fecit, urbes potentissimas expugnando, Saracenos & Turcas diversis in præliis triumphando, uti itinerarium ejus in singulos penè dies dicens, accurate describit Arnoldus Abbas Lubecensis. Id vero præ ceteris accidit mirandum (in gratiam Candidæ nostræ militiae nequaquam prætermittere oportet) quod Friderico contra Saladinum pugnanti præjerint in auxilium acies quædam candidis amictæ vestibus, & equis albis insidentes, ipsis etiam Saracenis visa. Hos seu Tutelares Angelos, seu Norbertinam aciem, cælo jam tum receptam, & à Friderico tantoper honoratam, intelligas, id equidem juxta habeo, quamvis me non fugiat, simile quidam præterito accidisse sæculo, dum videlicet novam è cælis Legionem in Pragensi Conflictu anno 1620. Catholicis subsidio missam referunt Historici fuisse B. M. Illustrissimum Joannem Lohelium ex Abbatte Strahoviensi Ordinis nostri Pragensem Archiepiscopum cum reliquis Bohemiæ Patronis, quippe qui eo die opus pertexuerit, quod paulo ante Viennæ exulans, & Spiritu Pragam translatus, post nefandam Cathedralis Ecclesiæ violationem Missarum solemnia concinentibus organis, & Choro, quem Sancti Bohemiæ occupabant, peragens exorsus fuerat apud Deum. Verum ne ultra, quam decet, in re, domi nostræ nata, moremur, dicimus, Fridericum medias inter palmas, dum æstus mitigandi causa amnem in Armenia minori fuisset ingressus, vivum haud amplius inde egressum esse. Extinctus in aquis anno 1189. expeditionis Hierosolymitanæ Fridericum (Baronius appellat Conradum) Anconæ paulo post occisum, Regni vero Romani hæredem, & Adelbergæ tutorem reliquit Henricum VI. quem venenæ à Constantia Conjuge sua, ut ajunt, propinatō interemptum fecutus est Philippus ejusdem Friderici filius, & tenerimi in Adelbergam amoris hæres, utpote sub cuius auspiciis sacræ ædes calo, prout diximus initiatæ sunt.

Unde vel cuius Professionis Leucophæi illi sive Cinericei Monachi fuerint, queis Volcknandus Adelbergam primò colendam tradidit, non habeo, quod certò affirmem, præsertim cum Otto Frisingensis illius ævi nobilissimus Scriptor disertè affirmet, Religiosos quosdam tunc temporis de colore vel grossitudine nihil causantes, albam vel griseam aliam ve abjectam & asperam vestem ferre consuevisse, ita ut ex solo vestium colore difficillimum sit ferre judicium. Suspicio tamen, fuisse vel ex Ordine Carmelitarum, qui tempore illo dispersi ab Alexandro III in ordinem redacti sunt, nullo, ut videtur, certi coloris genere præscripto, quippe quem Honorius IV. griseum partim, partim album designavit: vel ex Ordine Eremitarum, qui hodie à S. Augustino dicuntur, in illis autem diebus dispersi, demum ab Alexandre IV in congregationem collecti fuere.

Ultimò haud dubiè adverterit Lector, à singulari hospitalitate commendari Adelbergenses, pro cuius uberiori intelligentia libet iterum audire Frisingensem, de Patrum nostrorum hospitalitate ita differentem: Porta, inquit Otto, in exteriori Cœnobiorum atrio poni solebat, ubi Religiosus & timoratus frater jugiter manens, omnes supervenientes hospites, peregrinos, pauperes, alacriter & benignè tanquam ipsum Christum suscipiens, primò ad Oratorium ductis, dein in Cellam hospitalem, lotis antea eorum pedibus, ac deinde omnibus humanitatis officiis devotè exhibitis collocabat. Hæc Otto Frisingensis Episcopus virtute, ingenio, scriptis nobilissimus, S. Leopoldi Austriaci filius, Henrici III. Imperatoris nepos, Henrici V. Sororius, Conradi Regis frater uterinus, & Friderici Barbarossæ patruus.

CAPUT VIII.

Menfridus Præpositus III.

§. I.

Menfridus decenniø præsidens, postulatur Sorethum.

Postquam Berchtoldus Præpositus II viâ universæ carnis in tumbam descendit, viâ Canonica electionis ad Præposituram ascendit Menfridus, qui nostros non multum fatigabit calamos, quia vix superat, quod de ipso scribamus. Primam hominis Christiani stolam induit Sorethi, alteram Religiosi superinduit in Monasterio nostro Roggenburgensi. Candidus habitu, candidior moribus, dignus Soretho Patriæ fuisse vi-

fus est, ut ibi Ordinis Candidissimi alumnis cum potestate præcesset, postulatus in Præpositum tertium anno Millesimo ducentesimo quinto, sedente in Cathedra Romana Innocentio III, habenas Imperii moderante Philippo Friderici Barbarossæ filio. An Prophetæ fuerit in Patria acceptus, Sorethensibus decidendum relinquimus, imo decisum paulo post audiemus. Vix autem biennio vel triennio Sorethi Præpositum egerat post mortem Berchtoldi revocatur Roggenburgum, in Præpositum electus. Ad annum usque Millesimum ducentesimum decimum octavum præfuisse lego, quid memoriam dignum egerit, non reperio. A Sorethanis iterato in Præpositum septimum petitus, tandem in patria, quæ vitæ dederat initium, vivendi finem fecit anno reparatae salutis 1220. post mortem à Soretho hanc laudem ignominia mixtam tulit: *Scivit res bene congregare, sed minus providè dispensare.*

§. II.

Calamitosus Ulrici Præpositi Adelbergensis obitus, & gloria sepultura.

Adelberga interim divinis juxta & humanis præsidiis suffulta, multis latifundiorum censibus opima, litterarum studiis florentissima, &, quæ laudum summa est, summa religiositate resurgens, in altum caput undeaque gloriosum erigere cœpit, cùm subito nutare pedibus, & deplorandam opinionis jacturam subire coacta est.

Annus à reparata salute Millesimus ducentesimus decimus sextus agebatur, quo Ulricus Præpositus meritis dives, tremulo præ senectute pede ad tumbam properabat. Numero quadragesimo numeros deme duos, & annos regiminis, non meritorum numerabis: luxerat enim Ulrico, dum vivebat, velut per diem, neque unquam ei defuit columna nubis, quâ præcedebat eum Dominus ad ostendendam viam temporariæ prosperitatis; sed aderat jam funesta nox, qua noxæ animi olim in Deum minus fidei depurarentur igneâ tribulationis columnâ, sicut prædixerat illi Gertrudis Prophetissa. Quæ quomodo acciderint, ex manuscripto Codice Adelbergensi fideli calamo transcripta acceperim.

Ulricus dum Ecclesiam duobus de quadraginta annis rexisset, & de lacu miseria extulisset, incidit in torrentis impetum, qui omne genus hominum secum trahit ad occatum; & cùm defecisset corporis virtute, nec posset omnibus respondere, insolens illa Conversorum turma, Cleri semper inimica, cœpit cervicem erigere, discordias feminare, lites & contentiones multiplicare, dicentes, quod Ordinis eorum æqua quidem esset Clericorum & Laicorum receptio & professio, sed non æqua personarum acceptio, & præbendæ exhibitio. Quod dictus Præpositus jam decrepitus sedare voluit, sed prævaletudine non licuit, tantoque magis dolebat, quod nemo vicem ejus gerebat. Tunc quidam invenis nobilis, qui ejus ministerio semper astitit, unus ex eorum genere, qui solent dicere, faciamus mala, ut eveniant bona, errore deceptus, sperans in læsione spiritualis filii Præpositi, Præpositum sibi amplius placari, assumptis sibi sociis, unum de Conversis cepit, qui jam dictæ turbationis causa fuit, etimque feriens traxit, & oculos ejus evulsit, siveque pii Patris gratiam, quam tali scelere consequi putavit, plenè amisit. Quam ob rem ipse quoque juvenis iram inimici incurrit, qui & eum oculorum lumine privavit. In hac igitur gravi hominum jactura omnibus clarè patuit, quod uterque eorum impio zelo vehementer exacerbavit Præpositi animum. . . Itaque Præpositus, totaque simul Ecclesia infamâ hujus cruentæ mortis valde, diuque notati, & opprobriis hominum fatiati, honoris & gloriæ multa passi sunt dispendia. Et in his malis omnibus & pressuris Præpositus Ulricus resignavit Ecclesiæ curam, quam in diebus suis fecerat gloriosam, sed in fine dierum reliquit ignominia plenam. Hoc autem factum est, ut B. Gertrudis inclusæ supra memorata, haec eadem prophetantis, veritas probaretur. Deinde post menses quatuor Deo remisit animam, quam fortitus erat virtutibus plenam. Sed & hoc ad cumulum beatitudinis ejus adjiciam, quod ad funebria ejus plures Prælati Ordinis Præmonstratensis, depositionis nescii, Deo disponente, convenerint, ut Viri venerabilis corpus tam venerandum hymnis & laudibus prosequerentur usque ad locum sepulchri. Itaque quicunque ista legit, in nomine Domini admiratus, non pigeat dicere, Anima ejus requiescat in pace. Amen. Hactenus citatus codex. Mensem & diem non habeo, quem certò assignem, quamvis facile credam, obiisse mense Octobri. Cùm enim ad funebria ejus plures Prælati Ordinis nostri, depositionis ejus nescii, Deo disponente, convenisse dicantur, suspicor, vel abiisse, vel rediisse ex Comitiis nostris Generalibus, quæ secundum

dum ævi antiquioris morem ad VII. Nonas Octobris indici solebant, atque pro eo, quā Statuta nostra disponunt, venientes ad Capitulum generale, aut redeuntes ab eo, Adelbergæ hospitio receptos esse. Quis Ulrico in dignitate successerit, pariter non constat. Hoc solum in Adelberga restituta Reverendissimi Rommelii c. 12. n. 1. legimus, Ulrico primo Adelbergensium Antistite ad superos evocatō, cœnobium illud variâ fortunâ sub Præpositorum ductu exercitum esse usque ad Annū Christi Millesimum quadringentesimum vigesimum tertium, quo Rupertus Göteler primus ibidem Abbatialibus Infulis insignitus duravit. Illud in perpetuam Adelbergæ laudem cedit, quod tantos jam sub Ulrico heroas educaverit, qui vel cœlo collabenti humeros supponere potuissent. Unum ex multis adducimus, & ex ungue leonem cognoscet Lector.

§. III.

*Conradus Canonicus Adelbergensis eligitur in Abbatem
Præmonstrati, & S. Ordinis Generalem.*

Conradus Adelbergæ Professus, hic vir hic ille est, quem Canonia Minoraugeiensis in Præpositum sextum postulans, acris ingenii & probatæ prudentiæ Prælatum, potentissimumque nutantis disciplinæ fulcrum celebrat, Abbatia Vallis Secretæ publica laude dignum inter Abbates suos commemorat, totus Ordo Candidus Archimandritam honorat. Indixerat Gervasius Abbas Præmonstratenium Caput Comitia Generalia, in quibus quia Conradus tum Minoris Augiae Præpositus maxima eruditio & pietatis editit specimina, ad vacantem Vallis Secretæ Abbatiam, agente Gervasio, translatus est, ut Consilium & auxilium in Ordinis administratione haberet propinquiora. Tandem verò successorem sibi delegit Gervasius Conradum annō 1220; nec certè digniorem dare potuit, qui virtutem suaderet efficacius, vitia emendaret acrius, erudiret doctius, & labefactantem unitatem Ordinis foveret intimius. Jamiam Saxoniae Præpositi jugum obedientiæ excusserant, incentore Magdeburgeni Præposito, victus & vestitus formam non nihil mutaverant, Capitulis generalibus illuserant, illorum decretis refragi, non jam dignabantur communibus interesse Comitiis. De illorum pervicacia Gervasius querelam moverat, & vindices disciplinæ Romanos appellaverat Pontifices. Delegati fuerant judices in partibus, sed in opere lenti. Rem vividiūs prosequi, & schismati finem imponere cupiens Conradus, Metas petiit, ubi judices convenerant; aderat & Conradus Portuensis Antistes, Sedis Apostolice Legatus, quem resarcendæ pacis arbitrum esse rogavit. Consenserunt partes adversæ, confondere simul & judices delegati, sicque post ventilatam hinc inde causam amicabili compositione diremit Episcopus Portuensis, qua supercilie Saxonum non nihil indulgens, Ordinis unitati rixosos & penè acephalos restituit. Et ne pœnitentes concordiæ aliquando redirent ad vomitum, totam compositionis seriem curavit Honorii III confirmatione roborari Conradus noster.

Sancto Ludovico Galliarum Regi familiaris, Honorio III. & Gregorio IX charus extitit Conradus, & ab utroque donis auctus est temporalibus. Ordinis Abbatias in regno Galliae existentes regali tutelâ munivit; & Ecclesiam S. Alexii in Urbe junxit Ordini, Romam à Gregorio IX accitus. Quam Urbem cum jam anno 1226 invisiisset, ab Honorio III. obtinuit Abbatiam S. Severi propè Uibem veterem, pulsis inde laxioris vitæ Monachis.

Tantâ gratiâ, &, ut ita dicam, familiaritate cùm dignatus esset Conradum Gregorius, mirum, quod tam faciles adversariis & delatoribus illius aures fidemque dederit postea, ut ad non nullorum subditorum murmur de Abbatum onerosa autoritate, cuius adstipulatorem falsò venditabant Conradum, Inquisidores delegaverit Abbes Fribredi montis & Fulcardi Montis de Cisterciensi Ordine, qui vitam, mores, & regimen accusati stricto examine discuterent, & obloquentum inferiorum gravaminibus justitiæ facerent complementum. Obstat fortiter Conradus, ne provinciam hanc deputati Abbes exequerentur; sed quanto magis inquisitionis infastæ delicatulos ministros declinare fategit, tanto austiores magisque adversantes sibi est expertus. Peracta Præmonstrati & aliorum agri Rhemensis Monasteriorum visitatione, venerandum Abbatem, vitâ & moribus ubique commendabilem, laudabili & strenuâ plurij annorum administratione conspicuum, sententialiter amoverunt, eò quod abdicatam olim ex humilitate sensu dignitatem coram tribus primis Abbatibus Ordinis Præmonstratum de more visitantibus, illam propria authoritate ad Fratrum instantiam iterum assumpsisset. Elapsis ab exauctoratione Conradi annis duobus, Canonici Cuissiacenses illatam tanto viro de Ordine non nisi optimè meritò injuriam dolentes, eamque pro viribus cupientes re-

Tom. VI. Collect. Monast.

1

far.

farcire, illum post Lamberti mortem ad quartam Ordinis Prælaturam evexerunt, quam prudenter & piè rexit usque ad annum 1241. Ita illustrissimus Annalista Ordinis, Carolus Ludovicus Hugo, Episcopus Ptolemaidis, & Abbas Regularis Stivagii.

§. IV.

*Udalricus Præpositus Churwaldiæ à Conversis loco pulsus
ædificat Monasterium Rüttinense.*

E Galliis revertimur in Germaniam. Et ecce! inter sylvas etiam scena sese aperit, in qua rursus personam principem, qui minimè deberent, agunt servi. Conversos intelligimus, genus hominum, jugo Religionis vix affuefaciendum. Crines alere cùm prohibeantur, dentes acuunt, ut nutriant discordias. Sutores & fartoress plerique ultra crepidam volunt sapere, & satis se putant acutos, si enormiter pungant Superiores. Cùmque aperto marte decertare vix audeant, cuniculos agunt, quibus ruinam dominibus moliuntur. Expertus hoc doluit ipse supremus Ordinis Generalis XVI. Willelmus, qui Conversos ex vestitus uniformitate Canonicis arroganter se æquiparantes, jussit Cappis & Caputiis griseis indui. Desuper verò rebellantes, solo excommunicationis fulmine, & brachii sæcularis auxilio, jubente ipsomet summo Pontifice competuit. Attamen paulò post tantæ humiliationis impatientes, discordiam inter fratres seminaverunt, quæ caput à membris avellens, fatale inflixit capiti vulnus. Sic enim in Patrem insurrexerunt sanguinantes filii, ut in Capitulo generali conclamaverint, indignum esse, qui Præmonstrato præcesset. Ingruentem tempestatem non nisi spontanea cessione placandam prævidens Willelmus, probante Capitulo, ut liberiū Deo sibique vacaret, curis & honoribus valedixit, Canonia Lucernensis in Neustria secessum præponens.

Similem fabam eodem saeculo Udalrico Churwaldensium Præposito cedere noverunt perversi Fratres Conversi, & Præsulem optimum, Regularis disciplina assertorem strenuum, de Churwaldia optimè meritum docuerunt, quis eorum labor diurnus, quæ nocturna somnia, laborare nimirum, ut sanctiores Superiorum conatus pessimis suis & clanculariis susurrationibus murmurationibusque eliminare, aut avertere sciant, verè ferus aper, qui depascitur Sylvam. Cùm enim consuetudines aliquas Instituto candido repugnantes pro innato Religionis promovendæ Zelo eradicare vellet, neminem magis obstrepere sensit, quam ranas non nisi aëre sereno coaxantes, Conversos, inquam, in malo jam radicatos. Frutices, non arbores fructiferas plantare velle Præpositum calumnabantur nodosi stipites: flores recens plantatos afferebant undarum copiā præfocari, ut suas in partes alios provocarent. Solitum esse servandum clamabant, ne folis sibi solitas & perverso vivendi genio inolitas consuetudines relinquere cogerentur. Verbo: verbis & lamentis innumeris totam replebant domum, antea non cedentes, donec Religiosa domo Religiosissimum Præpositum cum octo aliis, quos verus Ordinis ardor succederat, cedere coegerint. Exules quaquaversum dispersi, diversis tandem in locis repererunt diversorum, dum bini in Steingadensi, bini in Augensi Canonia, alii duo inter Hospitalarios benignè fuerint recepti, uno vitam solitariam præeligente. Soli remanserunt Udalricus Præpositus & Lutgerus Prior, qui oculis quaqua versum conversis anxii fluctuabant, ad quem locum diverterent. Sed qui suaviter fortiterque disponit omnia Deus, hærentes in bivio duxit ad Lutoldum de Reisensterg nobilissimæ & liberæ conditionis virum, ac unum de majoribus terræ. Hic cognitâ jam prius ipsorum fugâ peramanter hospites excepit, & cùm audiret, nescios, ubi subsisterent, vagari, locum illis Cœnobio fundando ultroneè obtulit. Vix sese capiens Udalricus, tanta Lutoldi liberalitate captus, quam fecerat. acceptat oblationem; Lutoldus verò, Divina haud dubiè providentiâ sic disponente, ut latronum spelunca migraret in domum Dei, prædium in Rütte cum sylvis, pascuis, & omnibus attinentiis suis Udalrico cefit. Erant autem prædii illius coloni pessimæ animarum cultores, quia hæretici (Albigenses puto fuerint) quos infernali hac pice quidam Berchtoldus Sutor inquinaverat, & ne redirent ad aram, velut muta pecora eloquens Magister haræ pertinaciter adhædere fecit. His ergò, quia nulla Christi cum Belial conventio, ejectis, Udalricus manum operi admovere, nullum non lapidem movere, ac primò de lignis Sacellum, & officinas necessarias construere. Ægrè dimisit locum, qui per loca arida vagatur, Spiritus immundus, laboreisque omnem contulit, ut strenuè laborantibus obicem poseret, constructa destrueret. Unde per fideles ministros suos, turpissimos illos à fide transfugas, ut in fugam ageret servos Dei, mala quævis intentavit, succensis etiam eorum horreis cum omni frumento & fœno. Sed sanctiorem hæc flamma augmentavit ignem

ignem fervoris in Udalrico, qui deficientibus penè rebus omnibus à proposito nequam defecit, donec omnia perficerit, confisus in potentissimo Dei brachio, quod manus infirmas nunquam non consolidat; sicque factum, ut orco ejulante, emissaria ejus hæresi latrante, cælo applaudente, bonis omnibus Udalrico omnium optimo bona quævis aggratulantibus, Lutoldo præprimis exultante opus Dei perfectum, & operibus Sanctis in Monasterio Riethensi factum fuerit initium. Post hæc Udalricus ad Eberhardum Episcopum Salisburgensem iter instituit, nescio quæ tractaturus negotia, cùm Udalrico otium facere disposuit Deus, metà itineranti positâ medio in itinere. Urspergam namque appulsus, mortem pulsare januam advertit; & cùm diebus aliquot in lecto doloris decubuisse, coronandus in cælo, in corona fratrum occubuit anno 1224. Quæ post Udalrici fata fuerint Monasterii Rüttensis fata, ignoramus. Ultimum, sed quæd extiale fuit, unicō exprimimus verbō: hodie enim occupatur à Tigurinis. In Ecclesia Churwaldensi Udalrico exulare justo subrogatus est Swigerus, quem utilissimè præfuisse credemus, si Conversorum gentem indomitam edomare ac convertere novit.

§. V.

Annotationes.

Imperialis Abbatia Sorethensis, patria Menfridi Præpositi nostri, lingua vernaculâ Schussenried, à fluvio *Schussen* allambente, & *Ried*, locum palustrem & solitarium significante, trahit etymon. In agro Suevico oppida inter Biberaci, Waldsee, & Sulgau, velut in medicullio alicujus trianguli, & tribus ab unoquoque horis distans, sita est in Statu libero & immediato Imperii, nullumque agnoscit Superiorem, nisi solum Cæsarem, & summa ejus dicasteria. Sessionem & votum in Confessibus Imperii, jura regalia, territorialia, jurisdictionalia gladii & meri Imperii habet. Tantis prærogativis temporalibus respondent præminentiae spirituales, & utrasque annuntiant adificiorum nobilitas, à moderno Abbe Reverendissimo è fundamentis erigi cæptorum, & jamjam ad fastigia tendentium, Incolarum, qui de Canonico Præmonstratenium Ordine sunt, disciplina Regularis, scientiarum amor, & mores ad virtutem compositi. Fundatores habuit Beringerum & Conradum fratres, utrumque improlem, anno 1188, Clemente III. Pontifice, & Friderico Barbarossa, Romanorum Imperatore. Præpositis, qui primò Claustrum regebant, successerunt Abbates, quorum primus erat Conradus Rauter, à Concilio Basileensi, cui ut Orator interfuit & judex, in Abbatem sublimatus, Mitram verò, ex Clementis VIII privilegio, Abbatiae imposuit Ludovicus Mangoldt, Abbatum nonus.

Quoniam in §. II. iterata mentio fit de Gertrude, Virgine Meschovii reclusa, quid de illa suspicetur Roggenburgum, breviter dicemus. Opinamur igitur, illam esse, quæ in antiquiore Necrologio nostro V. Calend. Junii *Gertrudis Sororis* nostræ nomine legitur, ac proinde ex primis illis Deo sacratis Virginibus extitisse, quæ pro primævo Ordinis nostri more Norbertinum Viridarium à virorum contubernio paulò junctæ decorârunt; vel saltem à Gerungo nostro solenni ritu Deo consecratam, cultuque religioso velatam, inclusorum institutum sub Præmonstratenium directione fuisse fecutam. Ita namque Viros olim juxta & fæminas includi, votoque de nunquam egrediendo astringi solitos, author est Raderus P. 3. Viridarii C. 5. Gertrudem, cùm prænuntiaverit, quæ postea certò evenerunt, non falsam, sed missam à Deo Vatem fuisse, firmiter persuasum habemus.

Gregorius IX, prius Hugolinus ex familia Comitum de Segni natus Anagniæ in Campania, ab Innocentio III Cardinalis creatus, & in Episcopum Ostiensem consecratus est. Biduò post mortem Honorii III. 20. Martii anno 1227. in Pontificem electus, sed in Cathedra Petri annos quatuordecim, menses quinque, mortuus 21. Augusti anno 1242. vix non centenarius. A Romanis, qui Arnaldi de Brescia partes sequebantur, multa passus, ter exulare coactus est, ter revocatus ab iisdem, in necessitate constitutis.

Abbatia S. Severi propè urbem veterem, quam juxta §. III. Conradus Abbas Præmonstratenis ab Honorio III obtinuerat, migravit ad alias manus, & vel ipsum nomen in Annalibus Ordinis nostri extinctum est.

De Monasterio S. Alexii hæc communicamus Lectori. In monte Aventino vetus & venerabilis erat Basilica, SS. Alexio & Bonifacio sacra, sed injuriâ temporum Sacer-

dotalibus penè destituta officiis, dum Sergius Damasci Metropolita, à Saracenis pulitus, Romam appulit exul. Illum benignè exceptit Benedictus VII, & locum ad secessum postulanti, concessit Basilikam SS. Alexii & Bonifacii, quam Sergius convertit in Monasterium, & florentem S. Benedicti Regulam collectæ imposuit Fratrum coloniæ. Sæculo duodecimo cadente, nutavit Religio, & præsentium mores ad laxiorem vitam resoluti, in dissolutionem traxere Monachos. Tentatam reformationem à Summis Pontificibus elusit indurata liberiùs vivendi licentia, adeò ut refecando penitus inventato malo, spes alia non affulgeret, nisi ad alienos transferretur hæreditas, qui fructum facientes, inspersam loco sancto labem eluerent. Ad Præmonstratenſes mentis aciem direxit Gregorius IX, & Conradum, Ordinis caput, Romam evocatum, voti sui jubet esse promotorem. Paruit Conradus, & accepto Diplomate Præmonstratum reverſus agmen Fratrum illic transmisit Romam, quos Gregorius, eliminatis Benedictinis, in S. Alexii Monasterium induxit. Ad annum 1425. stetit illic, & floruit Ordo Præmonstratenſis, qui tandem Authoritate Martini V discedere coactus est, ut locum ficeret Lupo Olivetano, Congregationis Hieronimitarum Generali quondam Magistro, postea Monacho Carthusensi, denique ad pristinum reverſo institutum, cui & novas vivendi leges dixit.

Oves à Lupo expulſas doluit Franciscus à Longo prato Generalis noster, atque ut Ordo Monasterium haberet in urbe, à Paulo V impetravit Ecclesiam SS. Petri & Marcellini, titulo Cardinalis insignem, ea conditione, ut totus Ordo ad dotem con ferret 1500. auri scuta pro redditu annuo. Tantos Francisci conatus, tam beneficos Summi Pontificis in Ordinem sensus fraudavit Ordo ipse, sibi suoque commodo haud satis propiciens. Quod totus Ordo præstare vel noluit, vel non potuit, per se folium maxima ex parte & magnanimo ausu aggressus, perfecit Reverendissimus Adrianus Stalpaerts, Tongerloë dignissimus Abbas, dum ad Suorum eruditionem & Ordinis tutamen anno 1618. Collegium S. Norberti erexit Romæ, in quo Sacris Religiosi vacant sub Magisterio Præsidis (in Capitulo Generali anno 1738. in Abbatem promotus est) qui Syndici Ordinis in Curia Romana solet officio insigniri.

C A P U T I X.

Marquardus, Ludovicus, Ulricus, Præpositi Roggenburgenses.

§. I.

Ludovicus impetrat Confirmationem Privilegiorum.

Menfrido ad Ecclesiam Sorethanam secundò regendam evocato, Roggenburgi succedit Marquardus, Præpositus quartus. Qui personam suam gesserit, scri niis usque ad pulveres excussis, nihil invenimus.

Marquardo in terram suam, unde venerat, regresso, ut in cineres reverteretur, in Præpositum quintum electus est Ludovicus. Is antiquius nihil habuit, quām ut antiqua Monasterii nostri Privilegia novam roboris firmitatem obtinerent. Facile in vota precésque nactus est Innocentium Papam IV, ut probat sequens Bulla.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis Præposito Ecclesiæ Sancti Augustini de Roggenburg, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris Regularem vitam professis ad perpetuam rei memoriam. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incurſus, aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, Sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & Ecclesiam Sancti Augustini de Roggenburg, Augustensis Diœcesis, in qua Divino obsequio estis mancipati, sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini Regulam & institutionem Præmonstratenſium Fratrum in eadem Ecclesia constitutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona eadem Ecclesia in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontifi.

Propria, à Serenissima pol
m VII, ab aliis ad hanc
quam Sergius conser
impulsus Primum colloc
in mense ad laudes
reformacionem à Sane
reflexando percutit inv
ur herediti, quicquid
confundens mentis ex
nam evocat, unde
omne frumentum
tum, eliminat. Rendit
et illic, & fons O
actus est, ut locum
quondam Magistrum, p
tum, cui d' nova vix

Generali potest, an
in Ecclesiis SS. Petri
utatis Ordine ad detinere
in ostendit, tan benedict
Habitu compendiū in
vix non potest, per
eas Revolucionis de
sum emendare, & in
ante, in quo Sacra
anno 1738, in Alte
officio signata

CUS, PRA

allegatum

vocari, hanc
in loco p

d' obiectu

hanc in vo

Ecclesie

cum futura re

iam eligenda

ta incertit, n

magis. Eas

per annos.

Orodo Cate

Premonstrat

s' hinc non

tempore adven

tus

P A R S I.

37

Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma Vobis, vestrisque Successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo præfata Ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis. Villam de Innenstetten, & de Breitenthal, de Schieffen, de Meshoven, de Ebershausen, villas cum pertinentiis earundem de Gronet, Abbenbere, & de Steinbere, villas cum pertinentiis earundem, nec non & Ecclesiæ, alias possessiones vestras, cum pratis, terris, vineis, nemoribus, usuagiis & pascuis, in bosco & piano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus tuis. Sanè prædiorum vestrorum, quæ propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus aliquis haec tenus vos spoliavit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis Clericos vel Laicos liberos & absolutos è sæculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in Ecclesia vestra professionem fas sit, sine Præpositi sui licentia, nisi arctioris Religionis obtenu, de eodem loco discedere, discedentem verò absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem Generale Interdictum terræ fuerit, liceat vobis clavis januæ, Excommunicatis & Interdictis exclusis, non pulsatis campanis, dumodò causam non dederitis Interdicto, suppressa voce Divina Officia celebrare. Christma verò, Oleum Sacrum, Consecrationes Altarium, seu Basilicarum, Ordinationes Clericorum, qui ad Ordines fuerint promovendi, à Diœcesano suscipietis Episcopo, siquidem Catholicus fuerit, & gratiam & Communionem Sacrofanæ Romanæ Sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Prohibemus insuper, infra fines Parochiæ vestræ nullus sine assensu Diœcesani Episcopi & Vestro Capellam seu Oratorium de novo construere audeat, falvis privilegiis Pontificum Romanorum.

Ad hæc novas indebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Archidiaconis, seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, Sæcularibusque personis à vobis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & ultimæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverunt, nisi fortè excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publicè usurari, nullus obsistat; salvâ tamen justitiâ illarum Ecclesiârum, à quibus mortuorum corpora assumentur. Decernimus præterea & possessiones ad jus Ecclesiârum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi, & legitimè liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesiæ, ad quas pertinent, revocandi, libera sit vobis de Nostra Auctoritate facultas. Obeunte verò Te nunc ejusdem loci Præposito, vel tuorum quolibet Successorum, nullus ibidem qualibet surreptionis astutiâ seu violentiâ præponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum major pars senioris consilii secundum Deum & Beati Augustini Regulam præviderint eligendum. Paci quoque & tranquillitatì vestræ paternâ in posterum follicitudine providere volentes, Auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere; hominem temere capere, vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Præterea omnes libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiæ vestræ concessas, nec non libertates & Exemptiones sæcularium exactiōnum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiæ temerè perturbare, aut ejus possessiones afferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvâ Sedis Apostolice Auctoritate, & Diœcesani Episcopi Canonici justitiâ. Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, Sæcularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contrà eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se Divino judicio existere de perpetua iniuritate cognoscat, & à Sanctissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subjaceat ultiōni. Cunctis autem eidem Loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri, quatenus & hic fructum bona actionis percipient, & apud districtum Judicem præmia aeternæ pacis inveniant. Amen.

Tom. VI. Collect. Monast.

K

Ego

Ego Innocentius Catholicæ Ecclesiæ Episcopus

- † Ego Petrus Adanensis Episcopus.
- † Ego Joannes Sancti Nicolai in Carcere Tullii Diac. Card.
- † Ego Vitus S. Eustachii Diaconus Cardinalis
- † Ego Petrus Tit. S. Marcelli Presb. Cardinalis.
- † Ego Willelmus Basilicæ Duodecim Apostolorum Presb. Cardin.
- † Ego Frater Joannes Titulo S. Laurentii in Laterano Presb.
- † Ego Frater Hugo Titulo S. Sabinæ Presb. Cardinalis.

Datum Lugduni per manum Magistri Marini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii 12. Kalend. Julii. Indictione VI. Incarnationis Dominicæ anno 1248. Pontificatus verò Domini Innocentii Papæ quarti anno quinto.

Quid præterea utilitatis Roggenburgo præstiterit, quando mortalitatem exuerit Ludovicus, compertum est nihil, adeò vel orbis antiquior calamis pepercit, ut vix nuda posteritati nomina transcriperit virorum, quorum res gestæ cedrò erant dignissimæ, vel tempus edax rerum chartas quoque & folia consumpsit.

§. II.

*Bona malè alienata ad Monasterium revocantur, &
nova coemuntur.*

Ærâ igitur incertâ Ludovicum secutus est Ulricus Winckelhoven, patriâ Ehingenus, Præpositus numerô sextus. Sub eo à Clemente Papa IV de restituendis bonis malè alienatis emanavit Rescriptum, inscriptum Reverendissimo Abbatì Anhusano sequentis tenoris.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio de Ahusen, Augustensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Pervenit ad audientiam nostram, quod tam Dilecti Filii Præpositus & Conventus Monasterii de Roggenburg, Præmonstratensis Ordinis, Augustensis Diœcesis, quam prædecessores eorum terras, possessiones, redditus, Decimas, Domos, Vineas, Grangias, nemora, prata, pascua, jura, jurisdictiones, & quedam alia bona ipsius Monasterii, datis super his litteris, interpositis juramentis, confessis exinde Instrumentis, factis renuntiationibus, & pœnis adjectis, in gravem ejusdem Monasterii lœsionem, non nullis Clericis & Laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam verò ad non modicum tempus, & aliis perpetuò ad firmam & sub anno cenu concesserunt, quorum aliqui super his Litteras Confirmationis in forma communi à Sede Apostolica impetrasse dicuntur. Cum igitur nostra interficit, lœsis Monasteriis subvenire, discretioni tute per Apostolica Scripta mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ejusdem Monasterii per concessiones hujusmodi alienata inveneris illicite, vel distracta, non obstantibus Litteris, pœnis, juramentis, instrumentis, renuntiationibus, & confirmationibus suprà dictis, ad eos, & proprietatem ipsius Monasterii legitimè revocare procures; contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint, Censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Viterbii quinto Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

Jac. Alexn.

Jo. de Camp.

Non immerito suspicamur, falso alienationis malæ insimulatum, & inique tanquam Administratorem inutilem Sedi Apostolicæ delatum, adeoque Vaticana fulmina nil tale meritum feriisse Ulricum. Quippe œconomum in paucis fidelem ac sedulum fuisse, testis hodie stat Grangia in Waldhausen, quam modò communiter appellamus Glaser-Hoff, per Ulricum à Sororibus Familiae Dominicanæ in Memmingen titulo emptionis translata ad Monasterium Roggenburgense. Obiit Ulricus anno 1280. sepultus in dextra Capituli parte sub lapide, qui memoriam illius hisce verbis exhibebat.

Anno MCCLXXX obiit
Reverendus in Christo Pater & Dominus
Dominus Udalricus Winckelhoven de Ehingen,
Hujus Ecclesiæ Præpositus.

§. III.

§. III.

De Canoniis Filialibus

In Ecclesia Sancti Lucensi mors anno 1232. stationem mutare coegerit Reinoldum Praepositum IV. quo defuncto usque ad annum 1249. praefuit Henricus, quem secutus est Joannes usque ad annum 1270. hunc exceptit Berchtoldus, qua post annum in regimine exactum successorem habuit Joannem hujus hominis II, Praepositum numero VIII.

In Monasterio Churwaldensi Swigero, qui sub Bertholdo, Arnaldo, & Udalrico Episcopis Curiensibus gubernacula tenuit, successit Berchtoldus nomine I, numero IV. Hic anno 1282. obtinuisse fertur in judicio publico Solamen Arckos cum aedificiis suis in urbe Curiensi. Sed græcum nobis loquitur latinus Historiæ Churwaldensis compilator; nam usque modo à nobis absconditum est, quid per hoc verbulum Solamen intelligat. Fortè Solanum, id est, fundum terræ Arckos dictum, scribere voluit; vel, si mavis dicere, per solamen innuit Refugium, seu Domum Refugii. Melius solventi pro præmio laus erit.

Adelbergam denique quod concernit, sub Ulrico Praeposito primo ablactata, deinceps inter varia à variis collata beneficia, quasi solidiore cibo nutrita, in perfectam excrevit ætatem. Etenim à Guelphone (eundem fuisse existimamus cum illo Bojorum Duec, quem superius à singulari in Adelbergenses munificentia laudavimus) obtinuit Ecclesiam Waldensem, ut testantur Litteræ Hermanni à Fridingen, Episcopi Constantiensis, date anno incarnationis Dominicæ 1188. Ulricus Comes de Würtemberg Ecclesiæ Parochiales in Hohenstauffen cum Capella Castris ejusdem nominis, in Hochdorff & Unterensingen cum earum pertinentiis pio donationis titulo Adelbergæ incorporavit. Fridericus Teccæ Dux omnia bona zu dem Haag unter Lowenberg sita donavit. Denique Ulricus Würtembergæ Comes (an idem vel alias à prius memorato, penes Lectorem sit judicium) confectis desuper litteris publicis, permisit Adelbergensibus, & de gratia speciali concessit liberum transitum curribus, caruccis, & jumentis eorum, per municipium suum Schorndorf, ac per omnes terminos Dominii sui, absolvens eos ab omni exactione telonii majoris & minoris, quod cæteri ibidem transiunt solvere debebant, quatenus pro eo Deum orent &c. Prò Deum immortalem! quis non ingemiscat, recogitans, quanta mutata religione sint amissa? sed immatura premamus suspiria.

§. IV.

Annotationes.

Postquam à morte Cœlestini IV. Sedes Pontificia vix non bienniō vacaverat, idque ex culpa Friderici Barbaroſſæ, qui Papam partibus suis faventem eligi volebat, tandem Purpuratis Patribus, quos captivos tenebat, in libertatem restitutis, Anagniæ Pontifex renuntiatus est Cardinalis Sinibaldus Fieschi, patria Genuensis, in Jure civili adeò versatus, ut Pater Legum diceretur, ipse autem dici voluit Innocentius IV. Ejus electio cum Friderico denuntiaretur, dixisse fertur: Cardinalem amisimus amicum, Pontificem habebimus inimicum. Sub Innocentio primum Lugduni Concilium ecumenicum est celebratum, cui ipsusmet initium fecit perorando in illa Jeremiæ verba: O vos omnes, qui transitis per viam &c. Explicans quinos cordis sui dolores, quos patiebatur 1 propter Tartaros, dirè sœvientes in Catholicos. 2. propter Schisma 3. ob hæreses recenter natas. 4. ob terram Sanctam penè agonizantem. 5. à pertinacia Imperatoris. Pontificatum tenuit annos undecim, mensis quinque, dies quatuordecim, mortuus 7. Decembbris 1254.

Clemens IV, antea Guido grossus, primò S. Ludovici Francorum Regis Secretarius, dein Archiepiscopus Narbonensis, ab Urbano IV Cardinalis creatus, hujus tandem in Pontificatu successor fuit, Perusiae licet absens electus 2. Februarii 1265. sub hoc Pontifice jussu Caroli Andegavensis, quem Clemens per quatuor Cardinales in Regem Siciliæ coronaverat, Conradinus ultimus Sueviæ, & Fridericus Austriae Dux Neapolii in publico foro capite plexi sunt. Ajunt, Carolum illis potissimum verbis ad hoc permotum esse, quæ legerat in epistola Clementis: vita Conradini mors Caroli. De cætero erat in Jure peritissimus, & Concionator insignis. Annis sat multis ab efū carnis abstinuit, culcitræ stramineæ indormiebat, indusio lineo nunquam usus. Nepotissimi hostis infensissimus, consanguineos suos ex bonis Ecclesiæ ditari nunquam permisit.

sit. Claves tenuit annos tres, menses novem, dies viginti quinque. Obiit Viterbiæ 29. Novembris anno 1258, sepultus ibidem in Ecclesia Fratrum Prædicatorum S. Dominici.

Ahusen corruptè, propriè Anhusium Monasterium erat Ordinis S. P. Benedicti, Diœcesis Augustanæ, quarto milliari ab Ulma distans, & in honorem S. Martini Episcopi fundatum à Manogoldo Comite Palatino Tubingensi ejusque filiis sub annum Christi 1125. hujus Monasterii Abbas, in Causa restitutionis bonorum Roggenburgensium malè alienatorum Commissarius à Clemente IV. denominatus, vocabatur Georgius de Suntheim, numero duodecimus.

Denique non committemus hoc loco, ut memoriae Guelphonis Bavariae Ducis ad posteros transmittendæ defuisse dicamur, præsertim cùm non unius Adelbergæ angustiis munificentissima manus fuerit inclusa, siquidem & Suevicarum alpium fauces attigit, ubi perpetuum Guelphicæ beneficentia monimentum extat Nobilissimi Nominis Cœnobium Præmonstratense, Steingaden dictum, anno 1147. erectum. Igitur velut Epitaphii loco ad æternitatis tholos suspendimus, quæ manu succincta de Romanorum Imperatoribus apud nos anno Christi 1493. scriptus Codex in fine de eodem Guelphone addit in hæc verba: „A. C. 1191. decimo octavo Calendas Januarii Welfo Nobilis Altorfensis, Principum nostrorum Illustrissimus, Henrici Ducis videlicet & Wolfhildis filius, carne solitus migravit à seculo. In quo nobilitas Altorfensis non mediocriter completa desuit: innatam siquidem nobilitatem virtutum ampliavit moribus; sæculari et iam dignitate plenissime prædictus circa statum spiritualis vitæ summa vigilare studuit diligentia. Quid plura? quotidiè pauperum continuavit expensas, atque donis munificentia sua Monasteriorum vel Ecclesiarum discretè supplevit indigentiam. Monasterio etenim Weingarteni principaliter à parentibus suis fundato, speciali condescendit benevolentia, & fratribus Deo & B. Martino ibidem servientibus inter alia beneficia tradidit Berge & Willare cum non modica familia & suis appendiciis. Fratribus etiam in Augia (Candida) pro remedio animæ sua contulit præedium in Findanshoven. In montanis etiam claustrum Steingaden dictum à primaria fundatione constituit, quod sua providit sepulturæ.

Junguntur hisce pauci versus epici, haud quidem delicati & teretes, Guelphica tamen virtute opulent, quos addimus.

Diffusa latè Welphonum Nobilitate
Nomine postremus obiit & virtute supremus
Sublato fatis hoc Principe Nobilitatis,
Gloria multorum ruit & lux aurea morum.
Plangent orbati vitam Ducis incinerati;
Mortis in edicto qui vivimus ordine facto,
Labimur ut sœnum, cùm florem perdit amenum.

Genealogiam optimorum Principum texuit ævi illius insignis Polihistor Conradus à Lichtenau Urspergensis Abbas, itemque anonymous quispiam, qui Chronicæ Guelphonum nomine ex diversis Chronicis, Historiis, & antiquis Privilegiis Manuscriptus apud nos extat, & multos Urspergensis fulcos explet.

C A P U T X.

Ulterior Præpositorum series, nempe Ludovici, Rudolfi, Theodorici, Conradi.

J. I.

*Jus Tutelæ, seu Advocatia, transit ad ipsum Præpositum.
Bona Monasterii augmentantur.*

Plura denudè Ecclesiæ nostræ Roggenburgensis suprema Capita in uno Historiæ præsentis Capite concludimus, cogente rerum inopiam, quas in eonscribendo fastos segnior antiquitas posthumis voluit ignotas. In fronte igitur collocamus

Ludovicum II, de quo tamen ita silent nostri Codices, ut solum duntaxat nomen inter Præpositos referant, ferantque, numero fuisse septimum.

Ludovicus ex solo nomine notus successorem habuit *Rudolphum*; ea dignitate octavum. Hujus Præpositi temporibus Jus tutelæ, seu Advocatia erat penes Dominum Con-

Conradum de Eberstall. Cum autem Rudolphus adverteret, aut minus ad retundendas fortiorum vires sufficientem Advocatum, aut magis consultum fore Roggenburgo ejusque bono publico, si onerosum Advocati nomen extingueret, statuit Tutelam datō pretio à Conrado de Eberstall redimere. Manus illicē dedit Conradus, & acceptis centum libris nummorum Augustenium pro se & posteris suis Advocatiam cessit Rudolpho, erecto super hoc contractu publico Instrumento, Sigillis quinque munito, nimirum Wolfardi Episcopi Augustani, Lüdovici Abbatis Urspergensis, Henrici Marchionis Burgoviensis, Eglofii Schragen dicti, & demum Conradi ipsius. Testes subscripti leguntur Rudolphus Decanus, Eberhardus Custos, Magister Krafft Scholasticus, Gerungus de Wasserburg, & Burckardus de Bach Canonici Augustani. Datum indicat annum à Christi Nativitate 1294, diem verò S. Ambrosio sacram. Hæc omnia indubiam nobis fidem faciunt, Contractum hunc celebratum esse in ipsa civitate Augustana. Opinionem hanc confirmant Litteræ testimoniales, seu Attestatum publicum eodem anno & die super hoc bilateralis contractu scriptum ab Henrico, der Schongauer dicto, & Bertholdo Bitschelin, civitatis Augustanae Prætoribus. Neque lectorem offendat, in hoc Attestato commemorari, à Rudolpho Præposito nostro solutas esse centum & quatuordecim libras nummorum Augustenium, sive newer Augspurger Pfennig, Cum tamen Instrumentum Conradi solum faciat mentionem de centum libris. Nam utrumque facile combiniari posse arbitramur, dicendo, Contrahentes ab initio stipulatos esse de centum quatuordecim libris, Conradum verò vel sponte sua vel ad intercessiones aliorum aliquid de summa remisisse, cum etiam detractis quatuordecim libris superstes pecuniarum quantitas temporibus illis sat magna fuerit, adeoque Attestatum loqui de summa, super qua primitus conventum erat, Instrumentum de pretio, quod solutum fuit.

Plura de rebus à Rudolpho gestis haud innotuerunt, & annus ipse, qui Præpositum hunc Patribus suis apposuit, sacramentum est.

Rudolphus ad Superos translatō, supremus Præpositi honor delatus est *Theodorico*, qui super condelabrum positus adhuc anno à Virgine pariente 1330 luxisse, & Præfecturam in Oberhoven emisse dicitur. Sed tanta hic est annalium nostrorum eclypsis ut etiam ad Solis meridiani radios lucem à tenebris, verum à falso discernere non possit centoculus Argus. Quis enim, amabo, si vel puer elementarius sit, fidem dabit assenti, per Theodoricum emptionis titulo Canoniæ nostræ advenisse Præfecturam in Oberhoven, cuius ipsum adeò nomen nobis ignotum & quasi barbarum sonat, cum in tota latè vicinia nec oppidum, nec pagus, nec vicus, nec domus sub hoc nomine detegatur? Quis credit, contractum hunc esse celebratum anno 1330, quo, ductis meliorem in modum calculis, Canonicorum Roggenburgi tunc existentium calculis

Conradus, der Werder appellatus, in Præpositum decimum electus, totō jam bieniō in Sponsæ suæ amplexisibus hæsit? juvat igitur, labyrinthum non intrare, ubi nulla est, quæ filum porrigat Ariadne, & relicto inter tenebras Theodorico, filum ac telam de Conrado pertexere. Huic unde cognomen, *der Werder*, adhæserit, ignoramus. Augurio si locus est, à natali solo, quod Danubij Werdam, vulgo Donauwerd, fuisse putamus, Conrado venisse credimus. Sed omittamus quæstionem de nomine, cum agamus de viro, qui magni semper nominis inter nos fuit; est, & erit. Vix enim Ecclesiæ suæ Canonica electione despontatus fuerat, duplicitibus & stragulatis vestibus, ne scilicet Sponsa nivea timeret sibi à frigoribus nivis, indu curavit, Præpositus in omnem partem prudenter mobilis, ut bona immobilia Canoniæ suæ immobiliter adhærere faceret. Unde jam anno 1329 (vide, quām male annorum inierit numerum, quis quis Theodoricum in Præpositorum classe ponit anno 1330) ab Udalrico Laidolf de Bubenhausen octoginta libris obolorum emit duas villas in Biberach, vico dimidiæ horæ spatio Roggenburgo adjacente. Anno dein 1336 per contractum emptionis-venditionis ab Hartmanno de Münster Equite, Joanne ejus filio, & Werner de Nordholz ejusdem genero Ecclesiæ suæ obtinuit Praefecturam in Biberach, jus piscandi, & hortum suprà molendinum in monte, prout originales testantur litteræ, adhuc extantes, & signillis octo munitæ, ut scilicet veritas nunquam subruenda maneret, Conradum frumento & vinō stabilisse Roggenburgum, licet in aquis duntaxat piscaretur. Et hæc in publicis de Conrado signata sunt tabulis, pluribus Silentio prætermisssis. Et fors, ne majora faceret, mors causa fuit, quæ in plenā operum meridie ad occasum inclinavit Solem, Præpositum nostrum, sinistra forte cadentem illa ipsa die, qua fors olim cecidit super Mathiam. De anno nil constat.

§. II.

De Præpositis S. Lucii & Churwaldiæ.

In Cœnobio Sanct-Lucensi Joanni II. anno post Christum natum 1274. succedit Andreas I. Præpositus IX, qui multas dilapidavit opes, sed in lapides duntaxat Sanctuarii; Ecclesiam enim à fundamentis erexit, & de consensu Episcopi Curiensis sub annum Domini 1295 ab Emanuele Episcopo Cremonensi solenni inauguratione consecrari fecit. Domum non manu factam reperit in cælis anno 1299.

Illum in regendis S. Lucii ædibus exceptit Bertholdus II, Præpositus numero X. Sub eo ingens Canoniae Sanct-Lucensi decus & ornamentum venit ab Isfrido, vel Sigisfrido. Is tanta morum probitate inter Canonicos Ecclesiæ Cathedralis Curiensis eluxerat, ut anno 1293 super candelabrum positus fuerit, in Episcopum electus, quatenus omnibus qui in domo erant, majori splendore præluceret. In suprema specula speculum fuit sine macula. Solus ipse in se deprehendit pulvulos, in quos severum Judicem gravius animadversurum timebat, si quando in pulverem reverteretur. Igitur suæ consulturus saluti, post annos aliquot in Episcopatu pientissimè juxta ac utilissimè transactos, mitram Episcopalem depositus, & humeros Crucis Religiosæ supposuit, factus levis armaturæ miles, qui gravissimum egerat Dux. Quamquam quid levis armaturæ militem dicimus, qui omnem indutus armaturam fortium Deo militavit, humilitatis infimæ, obedientiæ cæcæ, patientiæ invictæ, omnigenæ virtutis præclarissimum exemplar? in quo Religionis stadio cum annis aliquot indefesso pede cucurisset, deposita corporis sarcinâ, extrâ muros Curiæ 19 Julii anno 1321. viam ad curiam cælestem inventit. Bertholdus verò Præpositus eandem iniisse viam dicitur anno 1302. Præpositi illum secuti nobis à solo noti sunt Albertus, naturæ cedens 1312. Andreas II, mortuus 1321. Conradus II, sepultus 1332. Nicolaus, Patribus suis appositus 1344. & Jacobus I, Præpositorum decimus quintus.

Canoniae Churwaldensi hoc ævo præfuerunt Udalricus II, Præpositus V. Bertholdus II, qui in actis 1307. & 1309. passim occurrit, sed jam exauktoratus; nam Conradus Præpositus VII anno 1299. emisse prædia in Befrang & Fontana, sub annum vero 1305 Parochiam in Baltzers, confirmante Sifrido Episcopo Curiensi, commutasse proparœcia in Veldsberg legitur. Jacobus Præpositus VIII. memoratur in actis annorum 1320 & 1321. Joannes Præpositus IX, quem tertio Calendas Julii 1341. Udalricus Episcopus Curiensis per plebanum S. Martini in Veldspergeni Ecclesia fecit investiri. Conradus II vixit adhuc anno 1361, quem secutus Udalricus III. Præpositus XI vita finem fecit anno 1374.

§. III.

Annotationes.

Non ignoti nominis fuit olim familia Dominorum de Eberstall, castrum ejusdem nominis visitur hodie vix non medio Burtenbacum inter & Jettingam itinere situm, quod Eberstallenium sedem fuisse suspicamus. Adjacet illi vicus modicus, & paret modò mandatis Dominorum de Speth.

Wolfardus (Bucelino dicitur Wolradus sive Wolhardus) in cuius manus cessionem Advocatiæ Roggenburgenis fecit, ex nobili Suevorum familia de Rodt oriundus, juxta Mantissam Stengelii fuit Ecclesiæ Augustanæ Episcopus XL, electus 1288, mortuus 13 Januarii anno 1300.

Ludovicus, qui in Instrumento Conradi scribitur Abbas, erat Præpositus Urspergenis XVII, & eodem celebrati contractus anno 1294 laudabilem duodecim annorum administrationem morte interveniente depositus.

Eglof der Schrage, qui & ipse contractus Instrumento subscripsit, sigillumque apposuit, nobilis erat de familia Knöringeni natus, utpote quæ in quatuor ramos dividetur, in Burgoviensem, Knauschensem, Blaarerensem, & Schragensem; unde ad distinctionem aliorum Eglof sive Egenolfus Schragensis dicitur.

Omne gratitudinis debite officium prætermitteret calamus, si Nobiles de Nordholz in Canoniam nostram gratiostè officiosos vix obiter & solo nomine perstringeret. Tot enim ac tanta illorum in nos Roggenburgenses erant beneficia, ut jure meritissimo inter primos ac præcipuos Benefactores numerentur, & quot annis in solenni Fundatorum memoriali die de Sacris exedris ipsorum quoque memoria fidelium votis ac precibus commendetur. Sedes illorum visebatur in Nordholz, de quo, an pagus aut op-

pi-

pidum antehac fuerit, non disputamus, hodie vicus est oppidò parvus, ad quem horæ spatio à Roggenburgo excurritur. Arx montis satis ardui incumbebat humeris, quam terrâ procul dubio infuetis motibus concussa intra alvum montis illius sepultam esse, traditione accepimus. Hoc dictu audituque mirum, quod usque ad nostra tempora singulis annis autumnante cælo innumera propemodum ranarum & bufonum multitudo profiliare videatur. Porrò rudera quædam paucis abhinc annis inspeximus, cum lapides vivi ad novam Ecclesiæ nostræ fabricam ubique conquererentur. Stemma inter nobilissima terræ nostræ habebatur, ita ut certarent inter se nobiles ac equites, nuptialibus tœdis ab illo mutuatâ familias suas illustrare. Loco non ultimo numerandus venit Piligrinus, ab insigni doctrinâ commendatissimus, qui discordantibus inter se Capitularibus Campiduni contra Fridericum ab Hirsдорff electus est in Abbatem, quamquam, quod fieri non debuit, dum ab Episcopo Constantiensi contra jura & privilegia Principalis Abbatiae, Supremo Christi Vicario sine medio subiectæ, confirmari se voluerit, infirmo pede substitut, & lite desuper intentata, Ecclesiam 5000 aureorum jacturæ subjacere fecit. Attamen quis temerè hac in re judicet, cum raro desint fundamenta, quæ putamus ad solidissimam fabricam sustentandam satis superque solidata.

C A P U T XI.

Berchtoldus II, Theodoricus II, Henricus, &
Joannes, Præpositi Roggenburgenses.

§. I.

De rebus sub Berchtoldo II, & Theodorico gestis.

Tutelam, seu Jus Advocatiæ in Ecclesiam Roggenburgensem, eidemque subjectos homines & Bona, quam Rudolphus Præpositus VIII à Conrado de Eberstall emptionis titulò in se transtulerat, ex consensu & libera electione Præpositi (Conradum fuisse credimus) ac Conventùs denuò ad manus exteris devolutam esse, colligimus ex Litteris, quas Reversales vocant, à Burckardo Seniore de Ellerbach ejusque filio itidem Burckardo, utroque Equite, anno 1331 Sabbatho ante festum S. Joannis in Sumwenden datis. In his notum faciunt omnibus & singulis, quod, postquam ex solo JEsu & Mariæ amore tutelam Monasterii Roggenburgensis in se suscepissent, nullum propterea jus vel pignoris, proprii, aut feudi titulo sive in homines sive in bona Cœnobii ipsis accesserit, sed solum obligatio quædam passiva, tempore belli, aut cujuscunque incursum hostilis Monasterium tutandi, defendendi, bonaque conservandi. Ad hæc in terminis terminantibus exprimunt, Præposito & Conventui, quocunque demum tempore vellent, liberam semper esse facultatem, Tutorum seu Advocatum alium eligendi, quin vel minimum aut possent aut vellent ejusmodi electionem impediare.

Sub his itaque Advocatis, Conradò autem sub umbra mortis absconditò, super can delabrum positus est *Berchtoldus*, nomine secundus, numero Roggenburgensis Ecclesiæ Præpositus undecimus. Nobiles illi natura cunas fabricavit; natus enim erat ex illustri familia de Gynzögg. Ipse, quod magis nobilitaretur, Comitis honorem ambiit, feliciter assecutus, quando pulcherrima digressione ex libero Barone factus est servus & illustrissimus comes JEsu Christi. Candidæ Religioni cùm inauguratus esset, vita ipsa met minimè vanus augur extitit, Berchtoldum fore quondam omnino Ducem. Et fuit etiam, postquam Conradus homo esse desit; quos autem ducatus sui successus habuerit, ne quidem augurio locus est. Hominem optimum vixisse temporibus admodum malis, ex eo constat, quod in diebus illius dies-hominum super terram valde imminuti fuerint, grassante horribili peste, cuius sævitie, quisquis mortalibus lecticis & squalidis delectatur umbris, adumbratam legere potest in Joanne Guler fol. 149. p. 2. Nos terrent vestigia etiam placide mortis, quam anno 1348. obiit Berchtoldus Præpositus noster. Virtutem humilitatis non tam affectasse, quam toto mentis affectu dilexisse, jubet credere humillima lapidi sepulchrali incisa Epigraphe, ita sonans:

Anno Domini MCCCXLVIII obiit
F. Berchtoldus Præpositus de Gynzögg,
Requiescat in pace.

In locum Berchtoldi venit *Theodoricus*, Præpositus iterum secundus nomine, sed duodecimus ordine, qui bona Monasterii sui augmentare sollicitus, manum sub mento haud reclinavit. Siquidem à Conrado Finstinger, Cive Ulmensi, præmium in Nord holz, Tottenloh dictum, datō pretiō Canoniæ suæ proprium fecit. Harpyas, quæ Christi togam inconsutilem (res Ecclesiæ) dissuere querunt, vel ipius, vel ejus prædecessores experti sunt, quibus ut rapaces præscinderet ungues, & ne vel latum unguem terræ sanctioris possiderent, authoritatem Sedis Apostolicæ imploravit, & ab Innocentio Papa VI anno 1362 super restitutione malè alienatorum Rescriptum impetravit, denominato in executorem Officiali Augustano, sequentis tenoris:

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Dilecto Filio Officiali Augustano Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilectorum Filiorum Præpositi & Conventus Monasterii in Roggenburg, per Præpositum soliti gubernari, Præmonstratensis Ordinis, Augustenfis Diœcesis, precibus inclinati, præsentium autoritate mandamus, quatenus ea, quæ de bonis ipsius Monasterii alienata inveneris illicite, vel distracta, ad jus & proprietatem ejusdem Monasterii legitimè revocare procures; contradictores per censuram Ecclesiasticam, Appellatione postposita, compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, Appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Datum Avenione quarto idus Junii, Pontificatus anno decimo.

G. Folcrandi.

Surdis cantatam esse fabulam, paulò inferiùs videbimus, cùm Joannem super hoc ipso negotio Romam appellare audiēmus, interim mors lessum cecinit Joanni, qui super pauca in paucis fidelis, super multa constituendus abiit, dum obiit anno, mense, ac die incognitis.

§. II.

Bona Monasterii sub Henrico & Joanne insigniter augentur.

Theodoricō ad inferiores terræ partes descendente, ad vota Fratrum superiùs ascendit **Henricus**, cognomento *Schyrlin*, Præpositus XIII, vir ad omnia summa natus. Oeconomiae dexteritate prædecessores suos non æquali tantum pede sequebatur, sed passu multum longiori præcedens multo post se intervallo reliquit: etenim parùm Henrico fuerat, si sarta solummodò testaque conservaret aliorum priùs labore acquisita, nisi proprio sudore majus incrementum adjiceret. Unde, ubiubi demum poterat, variis bonis Roggenburgum ditare allaboravit. Et quidem anno suprà Milleimum trecentesimum sexagesimo octavo emptionis titulō bona quædam Ecclesiæ suæ incorporasse, pro certo venditant Majores nostri, quamvis de certo corpore bonorum emptorum non constet. Dehinc annō 1378 cùm Gerwicus de Nordholz ejusdémque coniux Anna de Seckendorf quatuor prædia in Kettershauen venum exponerent, ut loca hæc Monasterio lucraret, loculos libenter aperuit, expenditque pecunias naturâ steriles, ut prædia parerent fructus opimos. Contractus iste emptionis-venditionis celebratus est Sabbatho ante Dominicam, cùm cantaretur *Judica*, prout loquitur Instrumentum emptionis desuper erectum.

Qui tanto bona temporalia & peritura augendi studiō servebat, majori ad spirituallia & æterna fervore ardebat. Quoniam verd' nostræ domûs angustiæ augustum Henrici spiritum nequaquam capere valebant, captus amore tanti Præfulis Archimandrita Præmonstratensium, amplam dilatandi Zeli provinciam fecit, dum Sueviæ & Bavariæ Provinciam imperio Henrici Visitatoris amplissimi subjicit. Tanto muneri natus, antequam destinatus, in utroque solo candidissima Lilia lætius florere fecit, sollicitus, ut nullum defloresceret. Interim à domo sua sæpius absens corpore, nunquam non præfens eidem fuit spiritu, curâ, & sollicitudine, donec omnino in regionem umbræ mortis abierit. O ferrea tempora! quæ Viro tali ac tanto vel faxum negaverunt, in quo memoria Henrici aureis insculpta litteris perennaret. Quamquam quid frustra irascimur tempori, qui soli in tempore vixit æternitati, post transacta in terris vitæ tempora æternum vivens in cælis, non delectatur verbis faxo incisis, sed in Verbo jucundatur, quod olim in angusto Virginis-Matris uterò abbreviatum, simul tamen & semper immensum fuit. Diem igitur, imò & annum obitûs nescimus; illud tamen non ignorantes, fatis malè Annalistam Stivagensem vitam Henrico prolongasse usque ad annum 1394, quo tempore jam per aliquot annos, ut mox patebit, ad clavum Canoniæ nostræ sedidit

Joan-

Joannes, cognomento *Keller*, dignissimus Henrici Successor, & Præpositus XIV. impigerimus Antecessoris sui præclarissimi æmulator ut hunc assequeretur felicius, reliætis ab eo vestigiis presso pede fideliter institit, dum vel bona immobilia justo emptio-nis titulo Roggenburgensi Monasterio vendicavit, vel male ac injustè loco suo mota strenue vindicavit. Siquidem anno Millesimo trecentesimo octogesimo sexto emisse legitur prædium Swigburæ; anno autem 1394 ad supplicem suum libellum, quem de bonis malè alienatis, occultè ab aliis & fraudulenter retentis Bonifacio IX. Pontifici Maximo obtulit, gratiosum emanare vidit Rescriptum, quo Reverendissimo Abbatii Urspergensi commititur, etiam per censuras, si fuerit opus, malæ fidei possessores ad resti-tutionem compellere. En copiam Rescripti.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Abbatii Monasterii in Ursperg, Augustensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Significârunt nobis Dilecti Filii Præpositus & Conventus Monasterii Roggenburg, per Præpositum soliti gubernari, Præmonstratensis Ordinis, Augustensis Diœcesis, quod non nulli ini-quitatis filii, quos prorsus ignorant, Decimas, Primitias, redditus, Census; terras, domos, vineas, possessiones, prata, pascua, nemora, sylvas, piscarias, stagna, lacus, aquæductus, molendina, grangias, agros, Litteras Authenticas, Instrumenta publica, Libros & Ornamenta Ecclesiastica, domorum utensilia, bladi & vini quantitates, Sanctorum Reliquias, equos, boves, vaccas, oves, porcos, pecuniarum Summas, & non nulla alia Bona ad dictum Monasterium spectantia temerè & malitiosè occulæ detinere præsumunt, non curantes ea præfato Præposito & Conventui exhibere in animarum suarum periculum, & ipsorum Præpositi & Conventi non modicum detrimen-tum, super quo iidem Præpositus & Conventus Apostolicae Sedis remedium implorarunt. Quocirca discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus omnes hujusmodi occultos detentores decimârum, primitiarum, reddituum, censuum, & aliorum bonorum prædictorum, ex parte nostra publicè in Ecclesiis coram populo per Te, vel alium moneas, ut infrâ competentem terminum, quem eis præfixeris, ea præfatis Præposito & Conventui à se debitè restituant, & revelent, & de ipsis plenam & debitam satisfactionem impendant, & si id non adimpleverint, infrâ alium competentem terminum, quem eis ad hoc peremptoriè duxeris præfigendum, ex tunc in eos generalem Excommunicationis sententiam proferas, & eam facias, ubi & quando expedire videris, usque ad satisfactionem condignam solenniter publicari. Datum Peru-si III. Nonas Januarii, Pontificatus nostri anno quartâ.

Ja de Papia.

P. Petra.

G. Gregorii.

Auri stulta famæ (exclamare hic juvat) quod non mortalia cogis pectora, ut nec sacræ nec Sanctis parcant, quis non totis contremiscat artibus, dum audit, ab homine Christiano & Catholico aras spoliari Sanctorum Reliquiis, rapi Supellectilem sacram, subtrahi Libros Ecclesiasticos? prôh scelus abominandum! utrum auditâ Pontificis com-minatoriæ sententiâ occulti prævaricatores ad cor, & bona malitiosè occultata ad mani-festos Dominos suos redierint, dies illa manifestabit, in qua etiam abscondita cordis erunt omnium oculis manifesta.

Sub Joanne Præposito mira prorsus & nullis obliteranda temporibus circa Augu-stissimum Altaris Sacramentum contigit Historia, quam capite sequenti recenfebimus, ut stranguletur aduersariorum perfidia, quæ negat, sub modica panis specie latere Panem Angelorum; ut crescat devotio Catholicorum, & Sacerdotes minus fervidi discant sanctius tractare Sanctum Sanctorum.

Quo tempore Joannes, exutâ mortalitate, stolam immortalitatis induerit, nulli bi expressum legimus; attamen nisi vehementer fallimur, annuū obitūs benè numeramus Millesimum quadringentesimum quintum, dies verò in Necrologio nostro signa-tur decima octava Mensis Maii.

§. III.

Pauca de Monasteriis S. Lucii, & Churwaldiae.

Sola, ut dicitur, Africa semper habet aliquid novi; montes autem & Alpes transal-pinæ novitates raro parturiunt. Quapropter brevi manu hunc absolvemus para-graphum, è digitis tantum recensendo Præpositorum nomina, præter quæ vix aliquid me-moriâ dignum occurrit. Et quidem.

Tom. VI. Collect. Monast.

M

Cœ-

Cœnobio Sancti-Lucensi præfuisse legimus Jacobum I anno 1355. Udalricum anno 1384. Theodoricum anno 1388, & Joannem Præpositum hujus nominis III, ordine XVIII, qui renovationem privilegiorum Imperialium anno 1413. obtinuit à Sigismundo in civitate Curiensi tunc existente. Hic ipse annus fuit Joanni fatalis, id est, vitæ ultimus.

In Churwaldensis Ecclesiæ Præpositum XII anno 1374. electus est Gerungus, atque utilissimè præfuit usque ad annum 1396, quo electione Prælatorum Rothenfis, Rüttensis, Marchtallensis, & Sorethensis vocatus est ad Insulas Minoraugientes, Abbas denominatus duodecimus, ita Monasterii extrema necessitate exigente. Vir erat Gerungus ingentis litteraturæ, & disciplinæ regularis vindex acerrimus. Eximum eruditioñis suæ specimen exhibuit in Concilio Constantiæ celebrato, cui interfuit, & in reformatione Monasterii sui, quod jamiam ad ultima vergebatur, se præstitit assertorem strenuum. Tandem laboribus & senio fractus ultronea cessione gubernaculum resignavit anno 1423. ita Minoraugientes de Gerungo, quem in regenda Churwaldia fecutus est Udalricus IV, Præpositorum XIII, is ad annum Christi 1406. in vivis adhuc egisse legitur.

Adelbergam dulci admodum sopore oppressam non faciemus evigilare, donec ipsa velit, aut inimicus Hannibal stentorea voce suscitetur dormitantem.

§. IV.

Annotationes.

Innocentius VI, prius Cardinalis Stephanus Alberti, Avenione in Pontificem electus est 18 Martii anno 1353 juxta manuscriptum Codicem Bibliothecæ Vaticanæ, vel ut aliis complures volunt, 18 Decembris 1352. primum & inviolabile ejus præpositum erat, nemini quidquam mali, omnibus benefacere. Paœta seu conditiones à Cardinalibus in Conclavi inter se initas, & juramentō firmatas, ut videlicet, quisquis demum Pontifex eligendus esset, 1. nullum crearet Cardinalem, nisi illorum numerus usque ad decimum sextum decrevisset. 2. ut Cardinales nunquam plures essent, quam viginti. 3. ut nullam illorum quempiam puniendi potestatem haberet, quam cæteris omnibus consentientibus. 4. ut medietas reddituum Papalium divideretur inter Cardinales. Has, inquam conditiones & paœta velut Authoritati Apostolice præjudicioſa ex plenitudine potestatis irritavit. Bellorum incendia, quibus totus penè orbis conflagravit, per Legatos suos sponire conatus est. Urbem Avenionensem cinxit muro, Villanova Nam adiuvavit, collegium Tolosæ fundavit. Obiit 11. Septembris 1362. sepultus in Ecclesia S. Mariæ, à gratia dictæ; inde autem translatus est in Ecclesiam Patrum Carthusianorum Villanovæ. Præ cæteris commendatur ab amore justitiae.

Nomen Officialis Augustani, in causa restitutionis bonorum male alienatorum ab Innocentio delegati nuspam inveni; quin in Mantissa Stengelii ipsam Vocabulam Officialis non lego usque ad annum 1447. quo Leonardus Gessel Vicarius & Officialis scribitur.

Bonifacius IX, prius Petrus Tomacelli, Nobilis Neapolitanus, ab Urbano VI ad Cardinalitiam dignitatem electus, eidem in Throno Apostolico succedit, electus Romæ 10. Novembris 1389. Durante adhuc Schismate Clementis VII infelicissima nauctus est tempora, ferè semper de loco in locum profugus, & nuspam habens civitatem permanentem. Clementi apoplexiā sublato succedit Petrus de Luna, cuius contumaciam miratus Cancellarius Parisiensis Joannes Gerson dicere solebat: pacem Ecclesiæ redituram, si Luna pateretur Ecclipsin. Sub Bonifacii temporibus Tamerlanes bello superavit Bajazethem, qui ultimum Ecclesiæ græcæ minitabatur exitium. Brigittam Sanctarum fastis adscriptis, ipse vero hominum numerō proscriptus est 15 Octobris 1404, mortuus Romæ, postquam Ecclesiæ præfuisset annis fermè quindecim.

Abbas Urspergensis, quem Bonifacius suum in Causa Roggenburgensi de alienatione bonorum nominaverat Commissarium, erat Reverendissimus D. Henricus de Pfaffenhausen, vir genere & pietate inclytus. Alberto, qui follicitudine fractus anno 1390 sponte Abbatia cessit, succedit, & Domum curæ suæ concreditam per annos duodecim multa cum laude rexit, mortuus anno Dominicæ Incarnationis 1407.

Minor-Augia, vulgo Weissenau, quod Gerungus ex Præposito Churwaldensi electione Prælatorum in Abbatem vocatus abiit, insigne Canonici Ordinis nostri Monasterium est, semihoræ spatio à Ravensburgo Imperiali civitate distans. Primo Eremitarum, si Bruschio fides habenda, sedes fuit: postea vero Gebizone de Wilemburg opulentissimo milite,

militie, & Loicarda Sorore ejus Henrici militis ex Asenhusen conjugé, anno 1145 dōtem suppeditantibus in Præposituram, denique in Abbatiam adolevit. Fundationis tempore Claves Petri Eugenius III, fascē Romani Imperii Conradus III, pedum Episcopale Constantiæ Hermannus I tenuerunt.

Quod denique Dominos de Ellerbach concernit, tutò illis tutelam sui commisit Roggenburgum. Præclarissimi enim stemmatis & ab antiquitate & factis heroicis notissimi fuisse, vel ex eo liquet, quòd multam in Ludis equestribus laudem tulerint. Torneamenta verd, seu Ludi equestres, quamvis aliquibus ad antiquiora reducantur tempora, primò Germaniæ nostræ in usu esse cœperunt sub Henrico Aucupe Imperatorum ē Saxonibus primo, ordine octogesimo nono. Intentio fuit optima, nempe ut Nobiles Germani hisce decursionibus & ludicris velitationibus exercitati, præliis cum hoste committendis præluderent. Nemo nisi antiquā ortus prosapiā, fama que integræ admittebatur. Proin ea lex lata Nobilibus erat, ut, quisquis in ludo auderet congregandi, galeā & thorace munitus præconi Heraldico (æm Wappen König) se sisteret, cuius erat ferre judicium, num insignia dignum facerent Equitem, qui publica magnanimitatis ederet specimina. Complura ejusmodi torneamenta celebrata sunt sed quoniam, ut in omnibus penè rebus fieri solet, frequens cum tempore & noxijs irrepit abusus, illorum usus omnino sublatus est à Maximiliano I. Imperatore. Talibus ergò ludis etiam inclauerunt Ellerbenses, & quidem Primo anno 938. ab Henrico Magdeburgi celebrato: Secundo anno 942. à Conrado Francorum Duce Rottenburgi ad Tuberam institutō: Quintō anno 996. à Rudolpho Marchione Saxoniæ indicto: Octavo anno 1080. ab Hermanno Sueviæ Duce Augustæ Vindelicorum habito: Decimo demum sub Guelphone Duce Bavariæ & Spoleti, Principe Corsicæ & Sardiniae anno 1165. Tiguri viiso.

Præterea ex hac nobilissima familia numerare est, qui sese Fœderi à Nobilitate equestri superioris Germaniæ sub Vexillo D. Georgii Megalo-Martyris electo (de quo fors in Parte posteriori sermo erit) associarunt, nempe Henricus, Pupelin, Henricus, Burckhardus, & Wolfgangus, omnes de familia Ellerbencium oriundi. Et hi quidem Torneamentis, Ludis Equestribus, aut præliis mundo sese admirabiles fecerunt. Alios autem legimus, quos Ludi multò nobiores & à Religione indicti, Deo & Angelis amabiles reddiderunt. Horum nomina sunt, Burckardus, Fridericus, Henricus, Joachimus, & Joannes Sigismundus; quorum tres primos in Mantissa Stengelii inter Canonicos Cathedrales Augustæ ad annum 1373, quartum anno 1484. quintum anno 1519. reperimus. Ex ipsis Burckardus in Episcopum Augustanum electus est anno 1378 Henricus Aulam B. V. Mariæ in Buxia, sive Monasterium Patrum Carthusianorum in Buxheim anno 1404. fundavit. Quanto tempore penes Ellerbenses Equites steterit Jus Advocatæ in Canoniam nostram, divinare non possumus; quandoquidem hæc Vocaria perpetuō ab uno saltaverit ad alium.

C A P U T XII.

Recensetur historia valdè notabilis de Augustissimo Altaris Sacramento.

A Jove Deorum Princeps principium fecit cœcā gentilitas, Joannes ut felicissimam operibus suis coronidem imponeret, finem laborum consecravit Illi, qui rerum est principium, & Corona Sanctorum omnium, extruendo, antequam destrueretur domus Corporis sui, Domum Domino, quem cœli capere non possunt; quamquam verius dicamus domunculam, utpote Sacellum vix aliquot passibus amplum, amplissimis tamen Regum palatiis præhabendum, quia Regum Regi inhabitatum. Causam dedit eventus sanè mirabilis & miraculosus. Annus post Deum incarnatum ingressus erat suprà Millesimum trecentesimum nonagesimus septimus, jamque defluxerat Jani dies sexta, qua Reges tres ter magnum in Puer Deum adoraverunt, cùm diem vitæ septimam, qua de labore egredieretur ad requiem, instare sibi advertit fæmina quædam lethali morbo laborans Ingstadii, pagò vix horæ dimidiæ spatio à Roggenburg distante. Semitam, per quam nemo regreditur, ingressura, ne deficeret in via, refici fortium cibō ardenter postulavit. Affert Sacerdos Deum Eucharisticum, illum videlicet Sponsor Dilectum, sub umbra panis cubantem in meridie, quem qui ad Solis occasum feliciter invenit, cadens ad occidentem non jacebit in tenebris, sed orientem videbit Solem, occasus nescium. At ò casum tremendum! Corporis Dominicæ pyxidem dum Sacerdos

M 2

tenet

tenet incautius, è manibus elabitur, & in terram cadit, coram quo procumbentes tremunt Angeli, effusis in omnem cubiculi partem Particulis Sacris. Quotquot aderant obstupeare omnes, manibus in altum expansis, cùm viderent in pavimento jacere Altissimum. Sacer præprimis Mysta totis contremiscere cœpit artubus, quod ceciderit è manu incuria, qui facit potentiam in brachio suo. Dein adhibito conatu, qui potuit ac debuit, sacras Hostias numero sex reperit, easdemque majori cum reverentia & cautela pyxidulæ inclusas ad Ecclesiam Parochiale defert. Tertio post die animam egit ægrotæ, & mulieres, quæ ad Cadaver vigilias asturæ convenerant, cùm multos inter fe de Sacerdotis negligentia sermones texerent, orbes autem oculorum in omnem cubiculi orbem curiosius agerent, illum præ cæteris locum, in quem Sacratissime Hostiae deciderant, frequentius respicientes, septimam cum ingenti stupore Particulam conspicunt, quam eò longius delitescere necessum erat, quod profundius in rimam trabi, quo cubicula ejusmodi tuguriorum sustentari solent, proximam fæse insinuaverat. Monitus è vestigio hac super re Parochus, citatis vestigiis astuit, & S. Hostiam de terra quām decentissimè elevatam debito in loco reposuit. In erea casum adeò tremendum rumor ad aures Reverendissimi Præpositi detulit, qui vehementissimè confernatus, mox, quæ in casu simili Statuta nostra Canonica ordinant, ad apicem observari, atque Venerabilem Conventum flagellis & jejunis in pane & aqua diluere jussit irreverentiam, Pani Angelorum & Vino virgines germinanti illatam, de cætero sollicitè præcavens, ne res in vulgus divulgaretur. At quoniam vulgare nihil magis est fæminis, quām nova vulgare, earum linguis velut totidem ventorum pennis rei eventus in omnem circè regionem devenit. Unde factum, ut complures quotidiè homines ad domum illam convolarent, allatis etiam cereis, aliisque signis votivis. Inquilinus ejuscemodi dona primo occultare, dein supervenientibus identidem turbis turbatus, devotæ plebi aditum negare cœpit; sed pestulō ex Præpositi jussu intērius remotō, liber denuō accessus patuit fideli populo etiam de remotis terræ nostræ partibus advolanti, in quas scilicet cassus memorati fama velocior Eurō evolaverat. Neque superstitione aut inutilis hæc plebis erat devotione; quippe signa publica, quæ passim siebant in populo, & pecoribus, latenter manifestare videbantur thesaurum, quasi verò, qui in fætenti stabulo quondam à Pastoribus, vilissima hominum plebe adorari voluit, illis temporibus novum Epiphaniæ Festum Regibus ac Principibus facere cogitaret, occultatæ in angusto tugrio Divinæ Majestatis præcone usus voce & lingua populi abjectioris. Interim Joannes Præpositus rem altiori secum trutinâ perpendens, statuit, ædibus destructis ædiculam sacram substituere, mirabili etiam in minimis Domino Maximo dedicandam. Fatō, seu potius Deo suaviter omnia disponente accedit, ut Celsissimus ac Reverendissimus DD. Burchardus Episcopus Augustanus, quā nescio via veniens ad Monasterium eodem tempore diverterit, ibique pernoctaverit; cui cùm Præpositus, quidquid de Domino, qui lucem habitat inaccessibilem, factum esset, atque indies fieret, enucleatius aperuisset, neque consilium suum de domo funditus destruenda & Sacello erigendo celasset, Episcopus Zelans gloriam Dei suum mox præstitit consensum. Jurasses, vel horæ spatium longam nimis fore moram Joanni, ut Deo, qui nullo comprehenditur spatio, locum faceret, in quo amicabiliter commoraretur inter homines. Sed quæ hominis est inconstantia, dies fluxerunt sat multi, & omnis pia Joannis animo defluxit intentio, justūmque abiit triennium, quin vel nimina Præposito redierit cogitatio de proposito suo exequendo, donec elapsis suprà tres annos septimanis aliquot manum admoverit operi. Domum igitur funditus destruxit, & locum, qui decadentes Sacras Particulas exceperat, scopis, fossoriis, rastris, aliisque instrumentis congruis expurgari fecit & mundari. Dein ædiculam de lignis, lateribus seu parietibus limō coactis, superimposito tecto laterito extruxit. Casam dixisses vilissimi servi, non domum Dominantium Domini. Cælum eo tempore vernabat, pietas autem fidelium nequaquam hyemali rigore constricta frigebat, quin æstivus quidam nec intempestivus fervor pia corda magis ac magis de die in diem succendebat, vel ipso Sacello ligneo ligna sacris ignibus supponente. Sed nunquam magis in apertum erupit incendium, quam dum in octava Sacra Particula seu Hostia repertus est ille, qui venit ignem mittere, volens, ut accendatur. Audi casum, obstupefæ prodigium. Illuxerat orbi quartus in mense quinto Sol, cùm Phœbus ille, per quem factus est Sol, Dominicam anticipando de tenebris triennialis sepulchri sui resurgere statuit in Sabbatho. Vespere enim Sabbathi Joannes Præpositus cum solo suo Cubiculario descendit in Ingstetten, ut devotionis votiva anathemata propriis manibus è pariete hinc inde suspenderet, paulo post ipsemēt grandi miraculo suspendendus. Dum hic ceras, & formatas è cera aures, manus, pedes, ibi boves, oves & pecora campi, item claudicantium bacilos affigit, suos in pavimentum oculos defigit Cubicularius, & subito quidpiam advertit, formâ rotundum, colore albicans. Inclamat Præpositum, ut videret, quid esset rei, quod ipse conspiceret in pavimento

stra-

stratum. At Joannes totus labore intendens, non multum attendit, quæ servus diceret, unde negligenter respondit: florem esse ex arbore venti spiritu deciduam. Et benè dixit; flos enim erat de radice Jesse. Cubicularius hac Domini sui responsione haud contentus, jam non hinc inde rotare oculos, sed perpetuò in formulam illam rotundam & albicanem conjicere cœpit. Cumque opus suum absolvisset Præpositus, iteratis precibus rogatur à Servo, diligentius inspiceret, quod ex adversa parte jaceret in terra. Et ecce! veritatem, quam oculo non credidit, manu palpavit, veram nempe esse Hostiam, triennio abhinc repertis simillimam, licet a vaporibus & pulvere obfuscata non nihil & pallidi coloris. Mox præ stupore nimio in pedes prostratus, exclamat: Domine! quid me vis facere? & quasi in extasi raptus, diu respondit amplius nihil. Aures nimirum Verbo, non linguam verbis commodavit. Tandem ad se rediens, sine mora aedesse jubet Conventum, quem in terra adhuc prostratus præstolabatur. Fratribus adventantibus, è pavimento surgens: videte, inquit, grande miraculum, quod in miraculo miraculorum Sacramento ter venerabili ad fidem nostram operari dignatus est Dominus. Mox S. Hostiam attollens, summa cum devotione ad Ecclesiam Parochiale deportavit, & in ara summa reposuit. Altera die (erat Dominicana, qua in Ecclesia cantatur: vocem jocunditatis, ita loquitur calamus antiquissimus, &, quod facilè crediderim, ipsis temporibus coævus; certè rudem ferrei ævi stylum proximè sapit) altera die denuò cum quibusdam de Conventu Ingstadium se confert Præpositus, funditus rei veritatem exploratur. Collatis inter se consiliis, & re quam diligenter inspectâ, ad unum omnes concluserunt: unam esse ex sacris Hostiis ante triennium Sacerdotis negligentia amissis. Novitas rei antiquum augebat cultum, adeò, ut de remotis etiam partibus venirent, qui in animam suam testati sunt, propitium sibi fuisse Deum, & propinquum celi auxilium, emissò voto in vota vocatum. Ipsus quoque Præpositus Joannes votum vovit Domino, hæc Dei magnalia neutquam tegendi, sed super tecta prædicandi, adipiculamque Sacris usibus dedicandi. Atque ut Zelotem gloriae, si vel leviter tergiversaretur, Deum à tergo sentiret sibi gravem, mox lapidem pro Altari (alijs ara portatilis dicitur) comparari jussit, votumque innovavit, quo voluit, ut Dominicam gloriosam Christi Ascensionem sequente miraculosa Dei Eucharistici inventio seu resurrectio è cathedra populo denuntiaretur. Ulterius progressurus ne gressus faceret extra rhombum, consilii gratiâ vocavit Berchtoldum Malterrogg, pro tempore civitatis Weissenhornianæ Parochum. Quo præsente, & congregatis in unum Canonicos, consultari cœpit, quid in casu agendum: lente festinandum, consuluit Berchtoldus, afferens, nullum in mora periculum, sed periculorum fore, in re tanti momenti nec per momentum matutinæ deliberationi immorari velle. Excepit Præpositus: oportet me stare voto, quo in Dominicam sequentem promisi, hæc magnalia Dei populo revelare: & quoniam multis erit concursus, ni sequatur revelatio, sequetur mea diffamatio; trophator enim scu deceptor habebor. Quo insuperhabito, hoc in confessu concilium est nihil. Altero autem manè (Sabbathum erat, & ipsa inventæ S. Hostiae dies octava) Reverendissimus Præpositus cum Berchtoldo in Ingstadium denuò descendit, ut oculus super veritate judex esset. Videntes, S. Particulam apparere non amplius informem & pallidam, sed in forma candidiori ac splendidiori, regresi sunt in Roggenburg, congregatisque Fratribus, tandem Capitulariter decretum: Particulam hanc populo quidem ostendi posse, post verò sumendam, ut sic præcaveatur annihilationi specierum. Bona in specimen videbatur decisio, sed aliter visum est cælo. Somno clausit oculos Berchtoldus, visioni aperuit Deus. Nam subito exprefactus, quasi dicentem sibi audivit: Sacramentum regis abscondere, bonum est: opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est. Non credens somnio, somno te iterum credidit, dormitus in utramque aurem. Sed eadem iterum iterumque vox dexteram aurem vellere videbatur, ita, ut, qui volebat quiescere, plus sati tota nocte occuparetur. Manè factò ad Præpositum se confert, Horas Canonicas, ut pridiè condixerant, cum illo dicturus. Præius tamen seriatim edixit, quæ horis nocturnis sibi evenerant. Quibus auditis Præpositus respondit: quod hesterna dies decrevit, hodierna mandabit executioni. Subintulit Berchtoldus: mutare si nequeo sententiam, meum saltem revocare potero consensum. Nesciit igitur, me aliter longè sentire, & ab eo, in quod hesterno die conspiravimus, me quam longissimè dissentire. Disceptatum est aliquamdiu, donec sanctiori, ut creditur, Spiritu afflatus Præpositus, idem cum Berchtoldo, si placeret Fratribus, se jam totum spirare afferuit. Ingstadium delatus, P. Priorem cum aliquibus de Conventu præsentem offendit, quem non parùm mutata hujus sententia offendit. Asserebat enim: præstat antevertere irreverentiam Saeramenti, quam novum à Deo quasi emendicare miraculum. Alii dixerunt: utrum panis sit, aut quidpiam aliud, oculus non dijudicat; placet ergò judicium, quod lingua tulit. Ad quos Berchtoldus: proprius, amabo, accedite, & ubi signa videritis; ab opinione vestra discedetis. Quapropter R. P.

Tom. VI. Collect. Monast.

N

Prior

Prior vel lyncis oculo singulas partes inspexit, & manifestè signa hostiis aliàs insculpi solita apparere conspexit. Quod ubi & alios advertit, superveniente Præposito conclusum, populo revelandum esse Sacramentum hoc magnum, & Sacram Hostiam non sumendum, sed velut miraculi memoriale decenter asservandam. Quo facto, datum super Altari portatili Sacris initium, Berchtoldo Parocho Weissenhornensi primum legente, alterum & tertium duobus è Conventu Roggenburgeni facientibus, quartum denique Reverendissimo Præposito de Sanctissimo Corpore Christi solenniter decantante, sub quo sacras exedras, lectò Evangelicò, ascendit Berchtoldus, facundus in gloriam Dei orator brevi, sed emphatico sermone populo explicavit, quām magnum in re admodùm parva modica videlicet panis specie, Deus Deorum maximus patrare dignatus sit, ut ostenderet, quām volupe sit ipsi habitare cum hominibus, qui voluptates bestiis communes non haberent. Adjectit, Sacello in perpetuam rei memoriam nomen ab Augustissimo Altaris Sacramento futurum. In cuius honorem eodem adhuc anno consecratum est & dedicatum.

Historiam modò recensitam primus conscripsit Testis ocularis, sàpè memoratus D. Berchtoldus Malterrogg, Parochus in Weissenhorn, anno Domini 1404, & ad calcem testatur, quòd Sacram Particulam transactis à commissa negligentia septem annis, & completis hebdomadibus octodecim visam esse candidorem, clariorem, splendidiorem, & ab omni corruptione illæsam. Quò postea devenerit, nescimus. Sacellum hodie quidem adhuc visitur, sed sub patrocinio S. Ursulæ Virginis & Martyris invisit. Ejus imago lignò excisa prostat in ara majori, atque in Festo annuatim recurrente, etiamsi dies feriata sit, ibidem pro concione dicitur, & Missa solennis cantatur. In fornice coloribus expressa repräsentatur historia, & Joannes Præpositus pedo & mitrà insignitus adstat. Nempe pictoribus atque poëtis.

Porro Episcopus Augustanus, quem apud nos pernoctasse diximus, juxta Mantissam Reverendissimi DD. Caroli Stengelii Abbatis Anhusani fuit Burcardus ab Ellerbach, ordine 48. electus 1378. mortuus 1404. an ipse vel ejus Successor Eberhardus comes à Kirchberg eodem anno electus, aut Albertus Mader Ord. Minorum, Episcopus Saloniensis & Suffraganeus Augustanus, vel denique Udalricus Ord. Carmelitarum, Episcopus Sebaftensis itidem illo anno electus Consecrator fuerit, scire parùm refert.

C A P U T XIII.

Ultima Præpositorum series, Udalrici, Joannis, & Ulrici.

§. I.

*Parochiæ Biberacensis & Zeisertshovenensis pleno jure
uniuntur Monasterio.*

Bonifacium Papam IX jam semel in vota sua secundum habuit Roggenburgum, ut optimum experiretur, ad eundem secundò recurrit. Cogitabat parochiales Ecclesiæ in Biberach & Zaizertshoven sibi pleno jure unire atque incorporare. Ad Caput igitur Ecclesiæ universalis pro consensu & approbatione confugit, ut effugeret molestias unde unde orituras. Audivit pro domo sua perorantem, exaudivit orantem Canonię Bonifacius, facultatémque concessit, prædictas Parocrias Ecclesiæ suæ uniendi, incorporandi, apprehendendi, licentiâ Ordinarii loci minimè requisitâ. Fidem dabis Lector ipsissimis Bonifacii verbis.

Bonifacius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sedis Apostolicæ providentia circumspæcta, circa statum Ecclesiarum & Monasteriorum omnium, nec non personarum Ecclesiasticarum salubriter dirigendum prospicit diligenter, ac personis ipsis, ut earum provideatur necessitatibus, ipsæque quietius Divinis obsequiis infistere valeant, libenter se gratiosam exhibet & benignam.

Hinc est, quòd Nos Dilectorum Filiorum Præpositi & Conventus Monasterii in Roggenburg, per Præpositum soliti gubernari, Ordinis Præmonstratensis, Augustensis Diœcesis, in hac parte supplicationibus inclinati, in Biberach, & in Zaizertshoven paro-

parochiales Ecclesias dictæ Diœcesis , quæ de jure Patronatū eorundem Præpositi & Conventū existunt , quarum viginti cum omnibus juribus & pertinentiis suis eidem Monasterio , cuius centum marcharum argenti fructibus redditus & proventus , secundū communem existimationem , valorem annum , ut ipsi Præpositus & Conventus afferunt , non excedunt , in relevamen onerum ipsis Præposito & Conventui pro tempore incumbentium Auctoritate Apostolica tenore præsentium in perpetuum unimus , annētūmus , & incorporamus , ita quod cedentibus vel decedentibus Rectoribus dictarum Ecclesiarum , qui nunc sunt , vel alias Ecclesias ipsas quomodolibet dimittentibus , liceat præfatis Præposito & Conventui Ecclesias ipsas Authoritate propria , Diœcesani loci , aut cujuscunque alterius licentiā super hoc minimè requisitā , liberè apprehendere , ac perpetuō retinere , reservatā tamen de fructibus , redditibus & proventibus singularum Ecclesiarum hujusmodi pro singulis perpetuis Vicariis , qui Canonici dicti Ordinis vel alii idonei Presbyteri existant , inibi instituendis , & perpetuō Domino servitūris congrua portione , de qua quilibet Vicariorum hujusmodi possit congruē sustentari , Episcopalia jura solvere , & alia eis incumbentia onera supportare , non obstantibus Constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscunque . Aut si aliqui super provisioribus sibi faciendis de hujusmodi , vel aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales prædictæ Sedis vel Legatorum ejus litteras impetrarint , etiamsi per inhibitionem , reservationem , & decretum , vel alias quomodolibet sit processum , quas litteras & processus habitos & habendos per easdem , & quæcunque inde sequata ad præfatas Ecclesias volumus non extendi , sed nullum per hoc eis quod ad asequectionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari , & quibuslibet Litteris , privilegiis , & indulgentiis Apostolicis generalibus vel specialibus , quorumcumque tenorum existant , per quæ præsentibus non expresa , vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat , quomodolibet vel differri : & de quibus , quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris mentio specialis . Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane , si fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari . Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ unionis , annotationis , incorporationis , Voluntatis & Constitutionis infringere , vel ei ausu temerario contraire . Si quis autem hoc attentare præsumperit , indignationem Omnipotens Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum . Datum Romæ apud S. Petrum 3. Kalend. Augusti , Pontificatus nostri anno nono .

Joan. de Bononia.

Gratis de mandato Dni nostri
Papæ Jc. de Ferentno.

§. II.

*Moleftiae à Præfectis Marchionatū Burgoviensis avertuntur.
Privilegia confirmantur. Novum de erigendo Judicij foro conceditur.*

In amplexus Sponsæ sic Spiritualibus etiam bonis quodammodo sanctè superbientis elezione Canonica involavit *Udalricus* , cognomento Hörner , Præpositus XV , quem sibi utilissimum experta est Canonia nostra . Viderat Præpositus in omne bonum Monasterii sui oculatissimus , aristas Roggenburgenses præterlapsis temporibus varias in partes non rarò fluctuasse , vehementi turbine exagitatas . Adverterat autem de specula sua , motus tempestatisque ut plurimū surgere à plaga Septentrionali , & plagas plerasque Roggenburgo venire à Præfectis Marchionatū Burgoviensis , qui passim , quæ data porta , ruebant , & in Bona , Privilegia , & Jura nostra irruerant . Quare ut ejusmodi nubes sibi suæque Domui perpetuō incumbentes felicius d spelleret , atque dies videret serenos , Serenissimum Austriae Ducem Fridericum convenit , ut , quam nomine præferret , pacem daret finibus nostris , fines malitiosis , finem malis poneret . Et verd exauditus est pro reverentia sua *Udalricus* . Etenim Fridericus Ducum optimus composuit fluctus , Officiales Burgovienses posuere supercilia . Sub alas tutelæ singularis & gratiæ recipit Monasterium , opem afflito vel affligendo spoondit , Præfectis quibuscunque Marchionatū Burgoviensis severè prohibuit , ut nunquam sub titulo forent aut alio emendicato ab agris Monasterii vel subditorum exigenter aliquid , Præpositum & Conventum in quieta possessione turbarent , nullos subditorum excessus punire præsumerent , exceptis duntaxat gravissimis homicidii , rapinæ & furti , incendiis , ac stupri violenti delictis . Ita testantur ejusdem Friderici Litteræ publicæ chartæ pergameneæ inscriptæ , anno 1406. in Festo S. Nicolai Roggenburgi ad Niccarum datæ , appositóque Sigillo minori roboratæ .

De gestis Udalrici aliud compertum nihil; Virum tamen sat magnum comprobant ista, quod noverit humiliare colla superborum, ne cervix humilium omnino frangatur. 23. Augusti anno incerto appositus est Patribus suis, Filiis in Patrem relinquens

Joannem II, cognomine Ellrang, Praepositum XVI. Is, quod firmior ad clavum federet, ad Sedem Apostolicam confugit, ut clavō, quem alias nullus truderet, firmaret suam, confirmando Privilegia Monasterii. Facilem Joanni se præbuit Joannes Papa XIII, & receptæ sub Apostolicā protectionem Canonie sequenti Bulla privilegia roboravit.

Joannes Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis Filiis, Praeposito & Conventui Monasterii in Roggenburg per Praepositum soliti gubernari, Praemonstratensis Ordinis, Augustensis Diœcesis, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum à Nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis quam etiam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem Officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter Dilecti in Domino Filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras ac Monasterium, in quo estis Divino obsequio mancipati, cum omnibus Bonis, quæ in praesentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub Beati Petri protectione suscipimus atque Nostrâ: omnésque libertates & immunitates à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, sive alias indulgentias vobis & Monasterio vestro prædicto concessas, nec non libertates & exemptiones fæcularium exactionum à Regibus, Principibus, vel aliis Christi fidelibus, rationabiliter vobis & Monasterio vestro prædicto indultas, sicut eas justè & pacificè obtinetis, vobis & per vos eidem Monasterio Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis patrocinio communimus. Nulli ergo omnino liceat hanc paginam nostræ Protectionis, Confirmationis, & Communionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ 3. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno primo.

Tutam ex una parte, sub Custode Apostolico, suam fecerat caulam: ex altera ne lupo pateret rima, recurrerit ad aulam, implorando brachium potentissimi Imperatoris Sigismundi. Imperavit hic ventis & tempestatibus, dum anno 1434. Litteris publicis Mercurii post Dominicam Palmarum Basileæ datis, & bono Mercurio transmissis, omnia jura, privilegia, gratias, immunitates, Bona, possessiones, decimas &c. &c. ab Imperatoribus & Regibus concessas, à piis Christi fidelibus oblatas, vel alio quovis justo titulo acquisitas confirmavit, omnibus utriusque Statu Principibus, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Vasallis, Praefectis, Prætoribus, Directoribus, Consulibus, Civibus & Communitatibus sub pena amittendæ gratiae Cæsareæ severè inhibens, ne quis quovis modo contravenire præsumat huic confirmationi autoritate cæsarea factæ. Ad calcem Litterarum interposita eadem Authoritate confirmat, & ratihabet jus civilegii, quo à tempore immemoriali in Civitate Ulmensi gaudebat Roggenburgum, præcipiendo, ut desuper nemo molestiam aut impedimentum nobis faciat. Date sunt Basileæ, post Christum natum, anno 1434. die Mercurii post Dominicam Palmarum regnorum Sigismundi, Hungariæ 47, Bohemiæ 14, Romani 24, Imperii 1.

Eodem anno & die idem Augustissimus Imperator Sigismundus Joanni Praeposito nostro liberam concessit facultatem, in aula Monasterii vel quovis alio territorii loco erigendi forum judicii, sive judicium forense in quo judices honestæ vita, conditionis liberæ, in neutram litigantium partem contra jus & æquum propendentes in causis civilibus justitiam administrent. Ex quo evidenter deducimus, subditos territorii nostri prius ad alia judicia delatos, ibi judicatos, & condemnatos esse, nomina verò Prætoris, Praefecti, Secretarii, Consiliarii &c. &c. Roggenburgo peregrina fuisse.

His & aliis præclarè gestis à foro fori mors inimica ad forum poli appellavit, & peremptoriè citavit Joannem. Neutquam dubitamus, quin pro domo sua optimè dixerit ad tribunal Regis æterni, qui pro domo Dei non nisi optima fecit, & in bonum ejus coram Regibus terræ feliciter nunquam non peroravit.

Denique Praepositorum agmen claudit Ulricus Schwarz, Praepositus XVII, quem quia de gestis ejus nihil omnino constat, nolumus alienis vestire plumis, ne deplumatum Chrisis nasutior novam mundo faciat fabulam. Mortuus legitur 1440.

§. III.

§. III.

De Ecclesiis Filialibus.

In Cœnobio S. Lucii Joanni Præposito XVII successit *Jodocus*, qui Concilio Basiliensi interfuit.

In Churwaldensi Udalrico IV successit *Nicolaus Præpositus XIV*. legitur domos & bona quædam ad Monasterium pertinentia in feudum dedisse pro annuo censu. Obiit anno 1415. Successorem habuit Conradum III Præpositorum ultimum, qui bonis variis partim coëmptis partim piè oblatis auxit Churwaldiam.

Adelbergæ sub *Henrico Gries Præposito* viâ concambii ad Adelbergenses transit anno 1393 jus Patronatûs Ecclesiæ in Hunningen, Constantiensis Diœcesis, simili jure in Ecclesiam de Kurchhausen, Diœcesis Wormatiensis, devoluto in Eberhardum, Würtembergia Comitem. Idem Henricus solenne Anniversarium pro refrigerio Fundatorum instituit, Authoritate Paterna confirmatum à Joanne Præposito Roggenburgen si sub annum Domini 1410.

§. IV.

Annotationes.

Joannes XXIII eo tempore præfuit Ecclesiæ, quo non jam biceps, ut quondam defendit Theologorum quispianum, sed omnino Triceps dici poterat; tres enim simul & semel Pontificem agebant, & difficultas non modica fuit discernere, quis eorum esset verus Christi Vicarius, cum quilibet Reges, Principes, Regna, Provincias, Viros & sanctitate & doctrinâ eminentes à partibus suis stare videret. Primus dicebat se Benedictum XII, secundus Gregorium XII, tertius erat ipse Joannes XXIII. Benedictus, antea Petrus de Luna, natus est in Arragonia. Cum à Gregorio XI ad Cardinalis dignitatem evehheretur, à Pontifice his verbis præmonitus esse fertur: Cave, ne Luna tua ecclipsin patiatur. A Cardinalibus quibusdam Avenione congregatis anno 1394 in Pontificem electus tantâ pertinaciâ per annos omnino triginta Schisma fovit, ut jamjam infelicem exhalaturus animam duos Cardinales, quos solos (cæteri relicto eô ad partes Martini V. transierant) secum habebat, adjuraverit, post mortem suam novum quantocvus eligerent Pontificem. Gregorius XII, prius Angelus Corarus, patria Venetus, post mortem Innocentii VII Romæ 23. Novembris 1406. electus est. Convenerant inter se Cardinales in Conclavi, ut, super quemcunque Sors caderet, ex Apostoli Cathedra rursum descenderet, Petru de Luna id ipsum facturô. Item ut numerus Cardinalium Romanorum nova accessione non augeretur, ne, pace Ecclesiæ redditâ, illos, qui Avenione degebant, Conclavi excluderent. Condixerunt postea & Petrus & Gregorius, Savonæ finem dare Schismati. Verum sub prætextu, quod Venetiæ negassent ad trajiciendum pelagus naves, remansit Romæ, atque insuper purpurâ Cardinalium duos nepotes suos aliquosque condecoravit. Quare in Concilio Pisâ coacto à Cardinalibus tanquam perjurus & fœdifragus accusatus, per Synodi Patres exaucitoratus est. Quod flocci pendens, Pontificem agere perrexit usque ad Concilii Constantiensis tempora.

Joannes denique, prius Balthasar Cossa, communiter tamen Cardinalis de Bononia dictus, Neapolitanus, Bononiæ, ubi Legatum agebat, Papa creatus est anno 1410, mense Majo, paucis post obitum Alexandri V. diebus. Ut finis esset Schismati, initium dedit Concilio Constantiensi anno 1414 Sigismundo in Cæsarem coronando. Paulò post stans ad aram, adstantes universis Synodi Patribus, jurejuringando se obstrinxit, se Petri Claves extraditurum, si Petrus de Luna desineret esse petra scandali, & Gregorius deponeret pallium. Promptus obsecundavit Gregorius, omnia Pontificatus sui insignia per Carolum Malatesta transmittendo, super hoc summoperè laudatus, à Concilio Cardinalis Episcopus Tusculanus, Sacri Collegii Decanus, & perpetuus Sacrae Sedis Legatus renuntiatus est. At Joannes illicè facti pœnitens, clam Constantiâ aufugit. E fuga tamen retractus, 20. Maji 1415. solenniter exaucitoratus est. Postea Monhemii, vel Heidelbergæ, sub curâ Ludovici Bavari, Comitis Palatini Rheni, captivus, sed vigiliis auro corruptis dilapsus, tandem anno 1419 Florentiæ Martino V se submisit, à quo paternè receptus, iisdem honoribus, quibus Gregorius gaudebat, & qui modò per hujus mortem vacabant, auctus est. Atque sic tandem rediit in terra pax hominibus, dum Balthasar in Martino

54 HISTORIÆ ROGGENBURGENSIS PARS I.

tino adoravit Christum , & Angelus Corarus ex Gregorio factus est Angelus pacis.

Sigismundus Caroli IV filius , Wenceslai pigri frater , Imperator à rebus præclarè gestis orbi notior , quām noster exprimere possit calamus. De Ecclesia optimè , ut quadraginta annorum schisma tolleret , nullum non movit lapidem , Constantiā Perpinianum usque profectus , multis apud Petrum de Luna institut , Concilio se submitteret , irrito tamen conatu , quia Petrum pertinaciter resistentem invenit. Ab Husf. sitis multa passus , & à Joanne Ziska utrisque oculis orbato Belliduce iterato prælio viētus fugatusque est. Imperium tenuit annis 27. & morbo articulari correptus obiit septuagenarius anno 1437. Maria , prima Sigismundi conjux , defuncta est improlis. Ex secunda , (Barbara dicebatur) filiam genuit , nomine Isabellam , Alberto Austria-co nuptam.

Et hisce coronidem imponimus Historiæ nostræ Parti priori , quia definit Præpositorum nomen ac series , in qua si etiam post exactissimam diligentiam calculos non benè duximus , nostrâ id culpâ non accidit ; vix enim possibile , ut ambulans in tenebris non offendat ad lapidem , & pes non cespitet , dum manibus quærenda est via.

FINIS
PARTIS PRIORIS.



HISTO-